

recht, stiefmütterlich behandelt sehen; der Seelsorger würde sich unnöthig eine Last aufladen, die er nur schwer bewältigen könnte, die ihn aufreiben müßte. Gewiß auch wird das Wort des Seelsorgers, der seltener in unmittelbarem Verkehr mit den Bundesgliedern steht, ein viel größeres Gewicht haben. Es wäre hierüber noch Manches zu sagen, was ich nicht ausführen will.

Endlich möchte ich noch etwas zur Sprache bringen, worüber ich nicht entscheiden will. Soll nicht Alles vermieden werden, insbesondere bei weiblichen und zumal bei Jungfrauenbündnissen, was auffällt, was heraustritt? Dieses fordert einerseits heraus, gibt Anlaß zum Spotte und zum Tadel, ohne daß damit irgend etwas Wesentliches gewonnen wird, vielleicht nur schadet. Ich weiß, daß z. B. an manchen Orten auf dem Lande die weiße Kleidung für die Jungfrauen eingeführt ist u. s. w. Hierin glaubte ich stets Strenge üben zu sollen. Derlei kostet nicht bloß Geld und nährt allenfalls die so gefährliche Eitelkeit nach zwei Seiten hin, sondern es dünkt mich dieses Heraustreten gerade diesem Alter und Geschlechte unangemessen.

An is, qui causas matrimoniales Christi fidelium foro saeculari exclusive vindicat, incurrat haeresin?

Intelligendum est, illud omne, quod in matrimonio iuris divini positum est, sacramentale esse, proindeque ad ecclesiam spectare, quae divini iuris cognitionem interpretationemque absolutissimam, sola in terris erroris culpaeque expers, columna et firmamentum veritatis, exercet: unde tamquam divini iuris interpretis ac oraculi, de veritate, validitate, substantia, causis, partibus, contractu consensuque, ut materia et forma, conditionibus effectisque sacramenti matrimonii decernere, unius ecclesiae est. Id fidei caput esse, nemo dubitat orthodoxus.

Isaac Habert, De iustitia edicti connubialis,
quod Ludov. XIII. promulgaverat.

Argumentum naturâ confragosum, opinionibus varium, nec ab invidia satis tutum se mihi offerre video, dum expedire ag-

gredior quaestionem: reus-ne censendus sit haereseos, qui praeteritâ exclusâque ecclesiâ, in causis matrimonialibus omnem iuris dicundi potestatem ad iudicem civilem pertinere contendit? Etsi autem viro catholico, cui ecclesiae suae explorata sanctaque est auctoritas, minime dubium esse queat, quid ea in re sentiendum sit: nihilominus in hac, quam invaluisse cernimus, politicarum aequè ac religiosarum idearum confusione, qua homines perditì ac rerum novarum studiosi ad depravanda etiam honorum, sed non satis sagacium ingenia improba sedulitate abutuntur, supervacaneum videri haud potest, idemtidem principia illa, quibus ius ecclesiae catholicae in connubia suorum fidelium nititur, explicare ac tueri; sunt enim ea veluti fundamenta, quibus ordo nexusque societatis humanae incumbit; deterisa quippe matrimonii sanctitate, quae ei ex divina inest institutione, omnem morum honestatem, ipsamque publicam ac privatam salutem non periclitari tantum, sed pessumire est necesse. Quot vero decursu temporis procusa fuerint consilia, quot suscepta molimina, ut principia illa labefactentur penitusque, si fieri posset, subruantur, nemo est qui nesciat. Ii, qui saeculo sexto decimo praetextu reformationis, sublatìs contra ecclesiam signis, matrimonium dignitate sacramentali spoliaverunt, illudque hoc pacto ad conditionem rerum mere profanarum et vulgarium detraxerunt, siquidem constare sibi vellent, necessitate impellebantur, ut omnem de eo decernendi auctoritatem summis terrae principibus attribuerent, quam hi semel arreptam non amplius sibi elabi passi sunt. Principum quoque catholicorum nonnulli, protestantes quodammodo aemulati, in iurisdictionem ecclesiasticam manus protendere non dubitarunt, praesertim postquam infesta Febronii dogmata turbam excitarunt assentatorum aulicorum, qui omni ope principibus persuadere sunt conati, matrimonia legibus temperandi potestatem non ad ecclesiae, sed ad sphaeram spectare imperii politici. Nuspiam tamen systema hoc laetius effloruit, maioreque cum energia effectui datum, quam in Austria sub Josepho II., qui subductas iudiciis ecclesiasticis causas omnes

matrimoniales ad tribunalia civilia relegavit, relictâ solum, immo impositâ ecclesiae obligatione, nuptias, quas magistratus laicus ratas habuisset, quantumvis canonibus interdictas, benedicendi. Quae hinc perplexitates, quae collisiones, quae absurda saepe ridicula emergerint, facile quisque intelligit. ¹⁾ Neque modificationes subinde introductas quicquam profuisse, experientia docuit; ut adeo perspicacissimi quique systema in radice vitiosum abdicandum, atque ad illud, quod sanctione ecclesiae consecratum est, redeundum existimarent optarentque. ²⁾

Quare augustissimus Imperator Franciscus Iosephus efficax, et quod unum tollendo malo opportunum suppetebat remedium allaturus, conventionem cum Sede apostolica inivit, qua ius matrimoniale catholicorum in Austria, rescissis quae irrepserant abnormitatibus, ad sacrorum canonum placita postliminio revocaretur, et malignitate superioris aetatis illata ecclesiae damna sarcirentur. Applausere omnes, quibus religio et salus reipu-

¹⁾ Speciminis instar, ex quo genium iuris matrimonialis ea tempestate invecti augurare aliquatenus liceat, id unum adfero, quod intimato 6. Septemb. 1791. 11. August. 1801. item §. 34 cod. civil. decretum fuerit, ut detecto in tribunali poenitentiae impedimento civili, confessarius illud episcopo insinuare, hic vero dispensationem ab eiusmodi impedimento a regimine politico, aut concernente iurisdictione militari, petere teneatur; quo quidem pacto praefectus politiae, vel colonellus legionis respectu episcopi, vices functionesque Poenitentiarîi maioris obeundas accepit. Neque id mirum; iam enim constitutione matrimoniali (Ehepatent) 16. Jan. 1783 editâ, derogatum fuit legibus canonicis matrimonium, non solum qua contractus, sed etiam qua sacramentum est, respicientibus. Conf. Jôh. Friedr. Schulte, Erläuterung des Gesetzes über die Ehen. Prag 1856. p. 15.

²⁾ Eminent. Card. Wiseman in libro: Vier Vorträge über Concordate. Aus d. Engl. Cöln 1856. p. 76 narrat, principem Metternich aliquando in colloquio familiari, cum de modificandis legibus matrimonialibus sermo incideret, mentem suam his verbis declarasse: Meine Herren, machen Sie Gesetze, so viel ihnen beliebt, aber die einzigen Ehegesetze sind die des Trienter Concils; und was für Gesetze Sie machen mögen, lauten sie diesen zuwider, so müssen sie null und nichtig sein; darum halte ich es für thöricht, wenn man daran denkt, in dieser Sache Gesetze zu geben; man hat die Bestimmungen der Kirche einfach anzuerkennen.

blicae cordi est, piaque animi gratitudine insigne principis beneficium sunt prosecuti. At non defuerunt etiam obstrepentes, qui ecclesiam compedibus exsolvi, et nativa ei reddi jura indignati, libertatem conscientiarum opprimi, aliarum confessionum sectatoribus iniuriam irrogari, civitatem perturbari vociferarentur. In ipso imperii senatu, qui Vindobonae congregatus negotia provinciarum pertractat, voces auditaе, quae conventionem illam abolendam, et matrimonia civium civilibus legibus moderanda postulabant. ¹⁾ Et homines quidem a sacris catholicis alienos, praesertim eos, qui sunt ex circumcisione, hac phrenesi correptos fuisse, non adeo mirum est; ast, quod merito doleas, illud est, viros quoque, qui se catholicos profitentur, seu imbecillitate mentis, sive captandae popularis auae gratia, incondito conviciantium clamori accinuisse, dextrasque cum hostibus nominis catholici sociasse. De his igitur non abs re quaeri potest: quonam loco sint habendi, quave censura notandi, si probetur eorum sentiendi agendique rationem cum ea, quae expressis ecclesiae legibus ac dogmatibus debetur reverentia, non posse componi?

Ut quaesito huic satisfiat, ea exponenda sunt rationum momenta, quae aequo cuivis rerum arbitro sufficere possint ac debeant, ut causas matrimoniales ad iudicem spectare ecclesiasticum existimet. Enimvero id suadet a) natura ipsius matrimonii; suadent b) traditionis documenta; persuadet denique c) expressa et sollemnis ecclesiae definitio.

I. Iurisdictionem in matrimonia fidelium penes ecclesiam esse, ipsa matrimonii indoles propius inspecta, dubitare non sinit.

Illud hodie, si inficetum naturalistarum rationalistarumque agmen excipias, in confesso apud omnes catholicos canonistas aequae ac theologos est, essentiam veramque indolem matrimonii

¹⁾ Quis est, quem moleste non affecerit famosum religionis edictum, auctore advocato Mühlfeld imperii senatui exhibitum, a viro

consistere in vinculo, sive obligatione, quam vir et mulier nullo iure impediti contrahunt, dum manifestato mutuo consensu in individuum vitae societatem coalescunt ita, ut alter in alterum se se totum transferat, suique, ut ita dicam, complementum in altero inveniat. Eodem nempe actu, eodemque tempore, quo contrahentes mutuum consensum verbis de praesenti rite exprimunt, simul reciprocam faciunt suimet ipsorum traditionem: „In verbis enim contrahentium, ut ait Sanchez, ¹⁾ est expressio mutuae traditionis, qua quilibet tradit alteri sui corporis potestatem.“ Atque per hanc traditionem stringunt nodum illum maritalem, in quo essentia reposita est matrimonii; ut adeo factâ acceptatâque utrimque per declaratum consensum mutuum traditione, conclusum subsistat matrimonium cum omnibus iuribus et officiis lege naturae eidem annexis, quin voluntati contrahentium relictum sit quicquam in iis mutare aut modificare. Declaratione consensus, et traditione transeuntibus, remanet nexus, quo coniuges, dum vixerint, devincti tenentur.

Verum hic nexus, cuius summa in amore et fidelitate coniugum cernitur, conscientiae religionisque praesidio fulciatur, est necesse; nisi enim id sit, nihil erit, quod ei firmitatem ac stabilitatem conciliet. Non leges: amor enim legibus non paret, nec imperio extorqueri potest. Non illecebrae sensualitatis, vel stimuli sexualis irritamenta: his enim, ubi satisfactum semel est, succedere solet taedium, et novitatis varietatisque studium. Non etiam dotes animi quantumlibet eximiae; nam iis cum aetate senescentibus, aut prorsus deperditis, matrimonium perseverat, et obligatio urgere non desinit. Unde nisi vinculum connubiale tacito conscientiae instinctu sensuque religioso nitatur, nullum

in rebus politicis versato „das unsinnige Product liberaler Schwarmgeisterei,“ Hist. pol. Bl. 48 Bd. p. 1025 non iniuriâ appellatum; utpote quod omnem ecclesiae in matrimonia influxum praecidi, ipsaque matrimonia vixdum suo foro reddita, rursus ad leges iosephinas et tribunalia civilia revocari urget.

¹⁾ De sancto Matrimonii sacramento lib. 2. disput. 5. n. 6.

habebit stabilitatis yadimonium. Atque hinc explicandum arbitror, quod matrimonium in summa etiam morum corruptione, atque inter populos barbaros et efferatos, si singulares voluptatis heluones excipias, numquam in promiscuam libidinem, lege probatam, degeneraverit. Hinc et illud, quod gentiles quoque nuptias numinum praesidio subesse crediderint, sacrisque cum caeremoniis celebrare consueverint. Sic ex Plutarcho ¹⁾ discimus: sponso iuxta ritum patrum a Cereris sacerdote copulari, et pronubae Iunoni sacra fieri, solemne fuisse. Isocrates, ²⁾ in nuptiis Pelei hymenaeum a diis cantatum existimari affirmat. Dionysius Halicarnasseus ³⁾ narrat, Romulum ut uxores ad decentem modestiam redigeret, hoc unum lege constituisse: mulierem nuptam, quae iuxta sacras leges convenisset cum viro, participem esse omnium bonorum et sacrorum; subditque, priscos romanos sacras nuptias vocabulo suo nominasse farracia. Alludit nempe ad nuptias, quibus per confarreationem, seu adhibito libo farreo novi coniuges copulabantur, de quibus etiam Plinius ⁴⁾ scribit: „Quin et in sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat; novaeque nuptae farreum praeferebant.“ Generatim, qui inter gentiles sapientiores melioresque fuerunt, in matrimonio aliquid altius quam merum commercium sexuale suspexisse, indubium est. „Matrimonia, inquit Quintilianus, ⁵⁾ sunt ab ipsa rerum natura instituta: sic mares foeminis junguntur, ut imbecillior sexus praesidium mutua societate sortiatur.“ Nec

¹⁾ Μετὰ τὸν πατριὸν δεσμὸν, ὃν ὑμῖν ἡ τῆς Δήμητρος ἱέρεια συνειργυμένους ἐφήρμοσεν Ὅι τῇ γαμηλίᾳ δύνοντες Ἡρατὴν χολὴν οὐ συγκαταγίξουσιν τοῖς ἄλλοις ἱερείοις, ἀλλ' ἐξελόντες ἐρρίψαν περὶ τὸν βωμόν. *Coniugalium praecepta*. Opp. vol. VII. edit. Hutten.

²⁾ Ὑπὸ δεῶν ἐν τοῖς γάμοις ὑμέναιον ἀστῆναι. In *Evagora*.

³⁾ Γυναιῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ, κοινωγὼν ὅπαντον εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν. ἐκάλουν δὲ τοὺς ἱεροὺς οἱ παλαιοὶ γάμους Ῥωμαϊκῇ προσηγορίᾳ περιλαμβάνοντες, φαῤῥάκια. *Antiquit. roman.* lib. 2. n. 71 edit. Sylburg.

⁴⁾ *Hist. natur.* lib. 18. c. 3.

⁵⁾ *Declamat.* 363.

praetereundum, quod vere non minus quam eleganter ab imperatore Aelio Vero pronuntiatum tradit in eius vita Spartianus: „Uxor dignitatis nomen est, non voluptatis.“ Huc fortasse referri et illud potest, quod Tacitus ¹⁾ memoriae prodidit de Agrippina sibi maritum a Tiberio exposcente: „Subveniret solitudini, in-
quiebat, daret maritum, habilem adhuc iuventam sibi, neque aliud probis quam ex matrimonio solatium.“

„Etsi autem gentes, ut loquitur Catechismus concilii tridentini, ²⁾ matrimonio divini aliquid inesse arbitrabantur, atque ob eam rem vagos concubitus a naturae lege alienos esse iudicabant: attamen sive naturae post peccatum, sive Moysis legem spectemus, facile animadvertimus, matrimonium a primi ortus sui decore et honestate decidisse.“ Quo connubia apud graecos et romanos, ipsosque adeo hebraeos, extremis praesertim reipublicae temporibus prolapsa, quantopere illis non modo omnis sanctitas, sed et moralis dignitas deterisa fuerit, exploratius est, quam ut explicare sit necesse. Quare divinus generis humani reparator Christus D. matrimonium non solum ad primaevam institutionem revocavit, ³⁾ sed et ad sacramenti dignitatem elevavit, tribuendo ei gratiam, quae naturalem amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret; ⁴⁾ quâ gratiâ proin efficitur, ut vir et uxor mutuae caritatis vinculo coniuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat, alienosque et illicitos amores et concubitus non quaerat, sed in omnibus sit honorabile connubium et torus immaculatus. Hebr. XIII. 4. Insuper vero ut fidelibus innotesceret quanti mysterii quantaeque excellentiae sit matrimonium christianorum, voluit Christus, ut sancta haec maris et foeminae coniunctio, ectypon esset immensae suae in nos caritatis, ac veluti symbolum quoddam

¹⁾ Annal. IV. 53.

²⁾ L. c. qu. 18 et 19.

³⁾ Matth. XIX. 5. 6. 9. Marc. X. 11—12.

⁴⁾ Concil. trid. Sess. 24. de matrim. in prooem. et can. 1.

aretissimae illius necessitudinis, quae ei cum ecclesia intercedit: quo quidem nihil ad declarandam matrimonii sanctitatem dici cogitarive potest sublimius. ¹⁾

Scopus praesentis disquisitionis haud exigit, ut veritatem sacramenti vindicandam suscipiamus; hâc igitur suppositâ, illud potius inquirendum definiendumque videtur, quid in matrimonio sacramenti habeat rationem; quodsi enim instituto diligenti examine pateret, sacramentum esse aliquid substantiae matrimonii extrinsecum, quod instar ornamenti dumtaxat aut praerogativae eidem divina ordinatione accesserit; tum procul dubio victas cogeremur dare manus illis, qui sacramentum quidem ad ecclesiae, conditiones autem modumque matrimonii, quatenus contractus est, ad civitatis forum pertinere contendunt. At vero

¹⁾ Alle Völker haben die göttliche Ordnung der Ehe empfangen und alle Völker haben sie auch stets als ein durchaus religiöses Institut behandelt, bis sie durch die moderne Aufklärung zu einem bürgerlichen Contract erniedriget worden ist. Auch die Ehe der Ungetauften hat, selbst in ihren verzerrten Gestaltungen, darum ihre Heiligkeit, weil sie von ihrem Ursprunge an das Zeichen, das Bild, die Darstellung der Vereinigung Christi mit der Kirche ist; aber der, welcher nach Erfüllung der Zeiten zur Erde hinabstieg, hat auch vor allen Zeiten bereits jene Verbindung mit der Kirche gedacht, und für sie das Zeichen, das auch den Heiden nicht verloren ging, gewählt. *Hist. polit. Blätter* 33. Bd. p. 92. Nolim tamen haec ita intelligi, quasi matrimonium ideo sit sacramentum stricte et proprie dictum, quia coniunctionem Christi cum ecclesia significat, quae sententia fuit Launoji; nam relate ad coniunctionem illam, est tantum signum speculativum; nec enim hanc coniunctionem efficit: verum autem sacramentum debet esse signum practicum, sive efficiens id, quod significat. Unde solum inferri potest, matrimonium ante legem evangelicam fuisse sacramentum in sensu latiori, sumendo sacramentum pro signo nudo et speculativo rei sacrae. *RR. PP. Societ. Jesu Theologia dogmat. praelectionibus publ. in universit. Wirceburgensi accommodata* Paris 1854 tom V. p. 475. — Diese Beziehung der Ehe nach dem Sündenfalle auf den Gottmenschen machte sie in der vorchristlichen Menschheit zu einer res sacra (einem dem christlichen Sacrament analogen Institut), im Christenthume selbst . . . zu einem Sacramentum. *Oswald, die dogmatische Lehre von den heil. Sacramenten.* 2. Bd. p. 375. Ubi etiam sensum verborum s. Pauli Ephes. V. 29—32 egregie expositum legas.

Sacramentum matrimonii est ipse contractus, ut vocant, naturalis, nequaquam autem aliquid ab eo diversum et separatum. Id enimvero non obscure colligitur ex decreto Eugenii IV. pro armenis, ubi Pontifex ait: „Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.“ Consensum mutuum esse causam efficientem matrimonii quatenus contractus est, omnes non tantum admittunt, sed propugnant quoque: at vero Eugenium non de contractu, sed de sacramento loqui, ex scopo eius est manifestum: volebat enim graecis et armenis integram ecclesiae de sacramentis doctrinam tradere, prout ipse asserit: „Quinto, ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum armenorum tam praesentium quam futurorum faciliiori doctrina, sub hac brevissima redigimus formula.“ Unde postquam de sacramentis primum in genere, dein de singulis in specie egisset, septimo loco tractat de matrimonio. Accedit, nec potuisse Eugenium de contractu loqui, cum eius aetate distinctio inter sacramentum et contractum in coniugiis christianorum nondum fuerit excogitata. Dum ergo Pontifex dicit eundem consensum, qui est causa efficiens contractus matrimonialis, esse una causam sacramenti: procul dubio innuit, sacramentum esse ipsum contractum.

Idem vero inductabiliter sequitur ex eo, quod concilium tridentinum sess. 24. canone 1. pronuntiavit: „Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in ecclesia inventum; neque gratiam conferre, anathema sit.“ Ubi advertas velim, concilium haud duxisse satis simpliciter docere, institutum a Christo fuisse sacramentum matrimonii ad sanctificandam unionem conjugalem; sed insuper expresse definivisse, ipsum matrimonium esse unum ex septem a Christo institutis sacramentis. Eequid autem est matrimonium Christi gratia destitutum, nisi contractus naturalis? Ex mente itaque concilii hunc contractum Christus ad dignitatem sacramenti elevavit. Quid igitur mirum, theologos plerosque in

exponenda hoc sensu doctrina catholica, conspirare. Sic Sanchez ¹⁾: „Cum matrimonium, ait, sit contractus, nec illius naturam Christus mutaverit, sed tantum elevavit ad esse sacramenti, sequitur aliorum contractum naturam“ etc.

Gabriel Vasquez ²⁾: „Juxta receptam in schola sententiam pro institutione matrimonii in sacramentum, id solum effectum a Christo est, ut idem contractus alias legitimus, sacer esset, et signum atque efficacitatem haberet sanctificandi contrahentes, nullo alio ei addito, aut ex parte ministri, aut materiae, aut formae, praeter ea quae ad rationem contractus requirebantur.“

Card. Bellarminus ³⁾: „Concilia et Patres scripturam divinam, quae de sacramento matrimonii loquitur, semper intellexerunt de ipso contractu matrimonii, quatenus a Christo per additionem gratiae ad sacramenti dignitatem evectus et translatus fuit.“

Basilius Pontius ⁴⁾: „Christus in nullo penitus immutavit naturam contractus, sed id, quod fuerit legitimus contractus matrimonii elevavit, ut esset sacramentum, et conferret gratiam.“

Emanuel Gonzalez ⁵⁾: „In matrimonio fidelium, prout est sacramentum, ius naturale et ius divinum concurrunt: illud, quia matrimonium dictat; hoc, quia matrimonium elevat ad rationem sacramenti.“

Perrone ⁶⁾: „Christus officium naturae seu contractum naturalem, qualem Deus ipse instistuit ante peccatum, quemque antiqui patriarchae, priusquam civiles leges constituerentur,

¹⁾ De sancto Matrim. sacramento lib. 2. disp. 6. n. 2.

²⁾ In tert. part. d. Thomae tom. IV. disp. 3. c. 5. n. 58.

³⁾ Disputation. de controvers. fidei tom. II. De matrim. c. 8.

⁴⁾ De sacram. matrim. lib. 1. c. 7. n. 15.

⁵⁾ In lib. IV. Decretal. tit. 1. c. 1. n. 16.

⁶⁾ Praelectiones theolog. edit ratisbon. vol. IX. tract. de matrim. p. 219.

inierunt, ad sacramentalem dignitatem evexit, et ita evexit, ut quoties legitimae personae naturalem hunc contractum efficerent, toties conficerent sacramentum. Quare ex hac contractus naturalis elevatione factum est, ut uno eodemque actu et contractus et sacramentum habeantur in coniugio christianorum, seu contractus et sacramentum identificentur per unum eundemque actum.“

Sed exitum non inveniam, si vel praecipuorum auctorum huic sententiae suffragantium testimonia producere velim. Quid? quod ii quoque, qui Melchioris Cani partes sequuti, sacerdotem putant ministrum sacramenti matrimonii, doceant, rationem sacramenti sitam esse in contractu, adeoque contractum ipsum ad dignitatem sacramenti evectum; quare neque in horum sententia contractus et sacramentum sunt duae res diversae et separatae.¹⁾

Unde aperta fronte concilio tridentino repugnant ii, qui ultro quidem largiuntur institutum fuisse a Christo sacramentum ad sanctificandum foedus connubiale; at illud ab ipso matrimonio caute distingui volunt: quia, ut putat auctor Institutionum theologicarum lugdunensium, si recepta in catechismis notio: „sacramentum matrimonii a Christo esse constitutum ad sanctificandam legitimam viri et mulieris coniunctionem“, ita accipiat, ut sacramenti nomine ipsum matrimonium intelligatur, hic foret sensus: matrimonium matrimonio sanctificari. Ast fucum faciunt, luduntque verbis, qui ita argutantur; ad quos refellendos nihil mihi suppetit opportunius, quam apposita analogia, qua clarissimus Card. Gerdil²⁾ contra eosdem usus est. Sicut nempe simplex et verbalis de emenda vendendaque re aliqua conventio inter privatos pacta, contractus est mere naturalis; quodsi dein adhibeantur solemnitates lege praescriptae, quibus novum ei robur novaeque praerogativae accedunt, contractus ille nullam

¹⁾ Gerdil, Trattato del matrimonio p. 90. et 103.

²⁾ In Fragmentis posthumis, quae edita fuerunt, in opere periodico, cui titulus: *Analecta juris pontificii. Dissertations sur differents sujets.* 42me. livraison, p. 408 Frammento I.

in sua essentia mutationem passus, sed solum ad maiorem firmitatem et perfectionem evectus, rationem nomenque sortitur contractus civilis, ita, ut eadem illa pactio emtionis et venditionis, quae solemnitatibus legalibus destituta, contractus dumtaxat mere naturalis erat, nunc dictis solemnitatibus munita evadat contractus civilis: eodem fere modo unio coniugalis, quae ante legem evangelicam non erat nisi contractus, ut aiunt, naturalis et civilis, qualis adhucdum est inter infideles, postquam ei a Christo annexa fuit promissio gratiae, evecta est ad dignitatem sacramenti, ita, ut ea ipsa unio coniugalis, quae ante Christum officium solummodo naturae fuit, per illum virtute sanctificandi foecundata, fieret sacramentum. Nihil ergo absoni, nihil repugnantiae hac in re deprehenditur. Duplex scilicet obtutus, contractus et sacramenti, sub quo matrimonium consideratur, non inducit separationem rei a re; sed indicat solum eiusmodi distinctionem, qualis enasci consuevit, dum una eademque res a conditione inferiori transfertur ad conditionem altiore, qua translatione novam acquirendo qualitatem, novam quoque adipiscitur denominationem, novo statui correspondentem. Atque hoc sensu intelligendi sunt catechismi et libri rituales dum docent, matrimonium a Christo fuisse institutum ad sanctificandam viri et mulieris coniunctionem; nempe non aliud volunt dicere, quam quod Christus sanctificaturus unionem coniugalem, id est, matrimonium, quod ante ipsum contractus tantum fuit naturalis et civilis, illud ad dignitatem sacramenti sublimaverit; hoc autem ipsum est, quod, ut paulo ante vidimus, concilium tridentinum expressis verbis definivit. — Hunc porro esse germanum doctrinae catholicae sensum, siquidem de eo adhuc ambigere liceret, patet etiam ex damnata a Pio IX. professoris taurinensis Joannis Nuytz sequenti propositione: „Nulla ratione fieri posse Christum exexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.“ ¹⁾ — Quare sententia, quae concedit a Christo institutum

¹⁾ Brev. 22. August 1851.

fuisse sacramentum ad sanctificandum matrimonium, negat autem matrimonium ipsum elevatum ad sacramentum, a nota haereseos excusari nequit; quemadmodum scribit J. P. Martin ¹⁾: „Ex his patet opinionem illam de matrimonii sacramento in ritu diverso consistente, quam a medio ultimo saeculo ad nostra usque tempora propugnarunt, ad potestatem omnem in matrimonii contractum ecclesiae eripiendam, ianseniani aliique heterodoxi homines, esse non solum falsam, sed etiam ut appellat Card. Gerdil systema monstruosum, haereticale etc.“

Proxima his, arcteq̃ue implexa, non tamen permiscenda quaestio est: possitne in matrimonio christianorum contractus divelli a sacramento, id est, an valeat matrimonium in ratione solum contractus initum exclusa ratione sacramenti? Apostata Spalatensis M. A. de Dominis volens ostendere nihil iuris esse ecclesiae in matrimonium fidelium, etiamsi sacramentum credatur, quod tamen ipse negat, contendit, contractum in matrimonio rem prorsus seiunctam esse a sacramento; quod ut efficiat, principii instar certi statuit: sacramentum matrimonii necessario supponere iam praeexistentem perfecteque stabilitum contractum humanum, utpote cui illud nonnisi superveniat; ita namque mentem suam expromit. ²⁾ „Admittamus, quaeso, tantisper, id quod falsum esse paullo post docebo, matrimonium christianorum fieri verum et proprie dictum sacramentum: cum supernaturalis haec conditio, et ratio sacramenti superveniat matrimonio iam plane et perfecte in esse civilis contractus constituto; et sacramentum matrimonii esse non possit, nisi prius sit integer et perfectus humanus contractus; quid ergo ecclesia habeat negotii in cognitione validitatis et invaliditatis matrimonii, in materia divortii et separabilitatis matrimonii?“ Idem magnâ fiduciâ propugnant tamquam indubitatum

¹⁾ De matrimonio et potestate ipsum dirimendi. Vol. I. §. 9. n. 105, p. 283.

²⁾ De republ. ecclesiast. lib. 5. c. 11.

ii quoque omnes, qui vestigia prementes spalatensis infenso in auctoritatem ecclesiae feruntur animo. Ex hoc principio inferunt, nihil in eo inconueniens esse, immo vero naturae rerum plane congruum videri debere, ut potestas civilis permittendo sacramentum arbitrio ecclesiae, quicquid contractum concernit, ipsa sibi soli vindicet. Ast vehementer spalatensis eiusque asseclae hallucinantur, dum falso supponunt in systemate catholico contractum necessario praexistere sacramento. Ut liquido pateat, quam id precarie et sine fundamento praetendatur, sufficiet paucis attigisse doctrinam de ministro sacramenti matrimonii, a qua alioquin omnes de matrimonio controversiae pendent. Duae porro, ut in vulgus notum est, in scholis catholicis circa ministrum matrimonii sententiae vigent: una, eaque cum antiquitate, tum argumentorum pondere plurimum commendata, contrahentibus; altera post Melchiorem Canum propugnata, sacerdoti tribuit ministerium huius sacramenti: ex neutra vero id, quod adversarii supponunt, deduci potest. Nam quod priorem attinet sententiam, in ea non solum non requiritur, sed positive excluditur praetensa illa contractus humani praexistentia. Siquidem contrahentes declarando externe mutuum consensum, stringunt unionem illa coniugalem, in qua ex instituto Christi reposita est supernaturalis qualitas sacramenti, ita ut eodem actu eodemque temporis momento, quo contractus initur, simul etiam perficiatur sacramentum, neque prius concludatur contractus, quam recipiatur sacramentum. Ita s. Thomas ¹⁾ ait: „Actus exteriores et verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est sacramentum matrimonii.“ Eundem in sensum loquuntur passim omnes theologi, quicumque contrahentes defendunt ministros esse matrimonii; ex eorum nempe sententia minister et forma contractus per omnia coincidit et identificatur cum ministro et forma sacramenti, uti et intentio nectendi vinculum coniugale, cum intentione conficiendi sacra-

¹⁾ Supplem. qu. 42. art. 3. ad 2.

mentum; ut adeo concurrentibus omnibus elementis ad producendum vinculum necessariis, adsint etiam omnia elementa ad sacramentum necessaria, quandoquidem ad valorem sacramenti non plus requiritur, quam ad valorem vinculi coniugalis. Unde in hac theoria sensu stricto dici potest: Contractum esse sacramentum adaequatum: tota namque materia, forma, minister, et intentio ad sacramentum requisita, deprehenditur in materia, forma, ministro, intentione requisita ad unionem coniugalem. Hoc sanc est, quo Bellarminus expressisse videtur his verbis ¹⁾: „Nunc adversus Cani opinionem probandum est, non aliam esse formam essentialem, neque alium ministrum contractus matrimonii; aliam vero formam et alium ministrum sacramenti matrimonii; et propterea nullum celebrari inter christianos legitimum matrimonium, quin id continuo sit etiam verum sacramentum.“ Ex eo igitur, quod minister et forma contractus sit una minister et forma sacramenti, infert Bellarminus, omnia matrimonia christianorum esse sacramenta. — Eodem modo Benedictus XIV. expositâ sententiâ Cani, ait ²⁾: „Nullus inficiabitur communioem esse contrariam aliorum opinionem, qui constanter defendunt, solos contrahentes esse ministros sacramenti matrimonii: quod proinde necessario ab illis confici docent simul ac validum inter se ineunt coniugii contractum.“ Cardinalis quoque Gerdil tum in Tractatu de matrimonio, tum in Fragmentis posthumis totus in eo est, ut ostendat, virtutem sacramentalem a Christo immediate annexam fuisse mutuo consensui, id vero tantumdem esse, ac contrahentes esse ministros; quodsi autem contrahentes sunt ministri, plane consequi, non posse dari contractum matrimoniale, qui una non sit sacramentum. ³⁾ Atqui si haec ita se habeant, suapte

¹⁾ De matrim. c. 6.

²⁾ De synod. dioeces. lib. 8. c. 13. n. 4.

³⁾ Sane duae hae propositiones: contrahentes sunt ministri sacramenti, item: contractus a sacramento separari nequit, intime adeo sibi cohaerent, ut altera ex altera necessario sequatur. Quamquam autem

patet, contractum non tantum necessario non debere, sed ne posse quidem praeexistere sacramento. Loqui autem me de contractu naturali, vix monere necesse est; hunc enim solum, utpote matrimonio essentialem et intrinsicum a Christo evectum fuisse ad dignitatem sacramenti, tenet doctrina catholica. Nam quod contractum attinet civilem, hunc sacramento priorem esse non posse, illustrissimus Ioan. Devoti ¹⁾ inde ostendit, quod hic sacramento prorsus sit extraneus, neque materiam eius constituere possit: „Gravis est error illorum, inquit, qui cum in matrimonio civilem contractum fieri animadvertant, ita ab hoc contractu sacramentum pendere arbitrantur, ut illo sublato,

sententia, quae contrahentes statuit ministros sacramenti, dogma non sit: est tamen in suis consecrariis spectata tam certa, tantique momenti, ut eam inficiari, temeritate haud vacet. Iuvat huc apponere, quae theologus non ignobilis hanc in rem scribit: Glaube man nicht, dass die Controverse, wie sonst freilich mitunter wohl, eine müssige Schulfrage sei. Die Folgerungen aus der einen oder andern Annahme sind vom allergrössten Belang. Denn wenn man die sacramentale Würde in die Einsegnung verlegt, so folgt, da ja nicht der Priester die Ehe macht, sondern die Brautleute sie machen, dass das Sacrament der Ehe von der wahren und gültigen Ehe getrennt werden, dass es in der Kirche wahre Ehen geben könne, welche nicht sacramental sind. Unter dieser Voraussetzung wird es dann leicht, die Gesetzgebung über die Ehe dem Forum der Kirche zu entziehen, als welche sich nur um das Sacrament, nicht um den Contract zu kümmern habe. Das ausschliessliche Recht der Kirche auf die Gesetzgebung über die Ehe (ausschliesslich in Hinsicht auf die Ehe selbst, nicht auf ihre bürgerlichen Folgen) gründet sich aber in der Wahrheit, dass das Sacrament der Ehe vom Contract nicht zu sondern ist; und diese selbe Wahrheit zeigt deutlich, dass es nicht der einsegnende Priester sein kann, welcher das Sacrament der Ehe administriert. Daher auch die Erscheinung begreiflich wird, dass solche Theologen, welche der Staatsomnipotenz huldigten, Jansenisten, Febronianer, Josephiner auch der gegentheiligen Ansicht zuneigten; denn steht es einmal fest, dass Ehesacrament und Ehevertrag eines und dasselbe ist, so begreift sich sofort, dass die „Ehehändel“ (causae matrimoniales) vor das Forum der Kirche gehören, und die staatsbürgerlichen Verordnungen nur die civilen Folgen der Ehe bestimmen können. J. H. Oswald, l. c. p. 389. His plene congruunt, quae cl. Perrone disserit l. c. p. 114.

¹⁾ Institution. canon. lib. 2. tit. 2. §. 117.

alterum etiam tolli evertique debeat. Inquiunt enim in matrimonio inesse et civilem contractum, et sacramentum; sed primum contractum existere, postea sacramentum, quod ab illo sumit materiam in qua consistat. Quemadmodum vero civilibus legibus ceteri contractus subiiciuntur, ita etiam iis subesse contendunt contractum matrimonii; et ideo cum civiles leges matrimonium perimunt, ipsam tollunt materiam, sine qua sacramentum stare non potest. Verum materia sacramenti matrimonii non civilis, sed ipse est contractus naturalis, qui certe absolvi coepit, multo antequam ullae civiles societates constituerentur etc.“ Praeterea, si Christus contractum civilem elevasset ad sacramentum, id sequeretur absurdi, valorem materiae sacramentalis definiendi moderandique facultatem, arbitrio principum, et quidem non tantum catholicorum, sed et infidelium ac haeticorum fuisse relictam. Hinc dum canonistae et theologi quandoque dicunt contractum civilem ad sacramenti dignitatem esse evectum, id improprie et sensu latiori dicunt, quatenus matrimonium in societate contrahitur; aut certe si qui id stricto et proprio sensu affirmant, inepte prorsus loqui existimandi sunt. Generatim ad praecidendam in praesenti quaestione omnem erroris occasionem; illud cumprimis cavendum, ne sacramentum contractui accedere aut supervenire putetur; nam ut iam insinuatum est, ipse contractus naturalis a baptizatis legitime initus in ipso actu quo perficitur, ex institutione Christi induit naturam sacramenti, quod ab eo deinceps iam disiungi nequit; atque hinc simul perspicui potest, quare, et quo sensu contractus dicatur materia sacramenti.¹⁾

Haec contractus et sacramenti inseparabilitas in matrimonio locum habet, salvaque est etiam in altera sententia, quae sacerdotem constituit ministrum sacramenti. Etsi enim contrahentes

¹⁾ Dum contractus dicitur materia sacramenti, intelligenda est materia proxima, quae consistit in ipsa applicatione seu collatione, eo fere modo, quo ablutio est materia proxima baptismi, ut docet S.

ante impensam sibi benedictionem sacerdotalem proferant verba consensum mutuum exprimentia: id tamen faciunt ea intentione, ut consensus iste tum primum sortiatur vigorem et plenum effectum, ubi ritus sacer accesserit, a quo demum indissolubilem unionis suae firmitatem repetunt. Ergo in hac quoque sententia, unio coniugalis superveniente benedictione non remanet in qualitate contractus pure naturalis et civilis, sed sublevatur ad conditionem altiore et efficitur sacramentum; ita ut haec duo, contractus et sacramentum, non iam iuxta se, tamquam sibi extrinseca, subsistant: sed in unum coalescant, neque seiungi amplius ab invicem valeant.

Sed quod in praesenti causa ad revincendas Spalatensis argutias non parum facere videtur, illud est, quod ipsa synodus pistoriensis ¹⁾ declarare non dubitaverit, ex institutione Christi sacramentum a contractu matrimonii seiungi citra reatum gravis culpae a contrahentibus christianis non posse; episcopus vero naulensis, qui dictae synodi vindicias contra bullam „Auctorem fidei“ edito libello suscepit, ingenue confessus fuerit, ex sententia eorum theologorum, qui inseparabilem defendunt contractum a sacramento, consequentiae instar profluere originariam ecclesiae in matrimonium potestatem. Si ergo fatente ipsa synodo pistoriensi inseparabilitas contractus et sacramenti in matrimonio christianorum ex positiva Christi ordinatione provenit; si fatente apologeta synodi, ex hac inseparabilitate consequitur, ut matri-

Thomas in lib. IV. sent. dist. 27. qu. 1. ad 4. „Sicut se habet ablutio exterior ad baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc sacramentum.“ Quemadmodum nempe ablutio est signum efficax gratiae, ita contractus eo ipso actu, quo per mutuam contrahentium consensum externe declaratum perficitur, fit signum efficax gratiae, adeoque sacramentum: Atque ex eo, quod contractus materia sit matrimonii, iure concludit Gerdil disputans contra M. A. de Dominis, qui et ipse comparat contractum cum aqua, quae est materia remota baptismi, eum, sc. contractum, subiacere ecclesiae; cum de conditionibus et valore eorum, quae materiam formamque constituunt sacramentorum, praeter ecclesiam nemini possit competere ius decernendi.

¹⁾ Decret. de matrim. §. 6.

monium auctoritati ecclesiae subesse putetur in omnibus iis, quae vinculum coniugale respiciunt: quidni iure concludendum est: matrimonium, quod institutioni Christi conformiter celebratur a fidelibus, originarie subiacere cognitioni auctoritatisque ecclesiae in determinandis iis conditionibus, a quibus validitas aut invaliditas matrimonii, tum quatenus contractus, tum quatenus sacramentum est, dependeat? ¹⁾

Nihil denique est, quod praeexistentiam contractus, huiusque separabilitatem a sacramento refellat luculentius, quam respectus ad matrimonia clandestina, quae, ut constat, concilium tridentinum sess. 24. Decret. de reform. matrim. cap. 1. declaravit fuisse vera et rata, quamdiu ecclesia ea irrita non fecit; quaeve hodie vera et rata sunt in locis, in quibus decretum concilii promulgatum non fuit. Numquam vero concilii Patres illa vera et rata coniugia dixissent, nisi credidissent ea vera esse sacramenta; ut enim observat Bellarminus, a sacris canonibus, quibus suum loquendi modum conformasse Patres praesumendi sunt, ea tantum matrimonia dicuntur vera ac rata, quae non solum sunt contractus civiles, sed etiam sacramenta religionis. At vero si matrimonia clandestina, ubi lex ecclesiae ea non irritavit, vera sunt sacramenta: qui, quaeso, fieri posset, ut contractus in illis praeexistat sacramento? Nisi forte quis dicat, contractum sibi ipsa praeexistere; nihil enim praeter hunc occurrit, quo illa constent. Haud equidem dissimulaverim, esse nonnullos theologos, qui existiment, validitatem a concilio assertam intelligi debere de matrimonio in ratione tantum contractus, non sacramenti; ast observandum, eosdem qui ita sentiunt, longissime abesse, ut inde inferant, tale matrimonium non aliud esse quam contractum ordinis mere naturalis et civilis: postquam enim, ut ipsi loquuntur, matrimonium ad sacramenti dignitatem elevatum est, omnis contractus matrimonialis inter baptizatos semper est

¹⁾ Conf. *Analecta iuris pontificii* 42 livrais. p. 412 sq.

materia sacramenti, hancque proprietatem ex institutione Christi indivulse sibi inhaerentem praesefert. ¹⁾

Opponet fortasse aliquis: non paucis, iisque spectatae auctoritatis theologis visum fuisse, iniri posse a fidelibus matrimonium quod non sit sacramentum, valeat tamen in ratione contractus; proinde rationem contractus separari posse a ratione sacramenti. ²⁾ Ut quam licet brevissime occurram, illud imprimis animadverto, auctores adductos longe alio, quam spalantensis, sensu atque consilio separabilitatem contractus a sacramento asseruisse. Praeterquam enim quod omnes diserte moneant, sacramentum matrimonii non posse umquam sine ratione contractus esse, cum legitimus matrimonii contractus sit materia et forma sacramenti: insuper distinguentes inter matrimonium ratum et sacramentum, affirmant, omnia christianorum matrimonia esse rata, licet fieri possit, ut non sint sacramenta: „Quod enim, ut ait Vasquez, ³⁾ fiat vinculum matrimonii ratum, non pendet ex intentione contrahentium, sed eo ipso quod contrahitur a baptizatis, dicitur fieri ratum: ut autem sit sacramentum, pendet in ipso fieri ex intentione contrahentium.“ Quod nempe laudatos theologos in eam, quam defendunt, impulit sententiam, fuit persuasio de necessitate intentionis ad perficiendum sacramentum; sic quippe argumentati sunt: sine debita in ministro intentione sacramentum haud efficitur; quodsi igitur contrahentes, qui ministri sunt matrimonii, legitimum ineant contractum, non habeant autem intentionem suscipiendi sacramentum: contractus quidem valebit, at sacra-

¹⁾ Basil. Pontius, de sacramento matrim. lib. 6 c. 9. n. 8. et Gabr. Vasquez, cuius verba mox proferam.

²⁾ Ita Scotus in IV. dist. 28. qu. un. Vasquez, Commentarior. et disput. in tert. part. s. Thomae tom. II. disp. 138. c. 5. n. 63. Basil. Pontius l. c. lib. 1. c. 9. n. 6. Joan. Gonet, Manuale Thomistarum vol. II. tr. 7. de sacr. matr. c. 3. Card. Gotti, Theologia scholast. tom. III. tr. 13. de matrim. qu. 2. dub. 3. Giribaldi, Opera moral. de matr. c. 3. dub. 4. Theologi Wirceburg. tom. V. p. 485.

³⁾ L. c.

mentum minime producet. Verum fieri posse putamus, ut vel rudissimi ex plebe christiana umquam consortium maritale stringant eâ, quae ad sacramentum sufficit, intentione destituti? Qualis enim ad hoc intentio requiritur? „Si quis, inquit Basil. Pontius, ¹⁾ communi modo contrahat, et ut communiter solet matrimonium expeti, satis est si implicate tantum et in confuso habeat intentionem celebrandi contractum iuxta morem ecclesiae consuetum, et ut modo christiano celebrari consuevit; hac enim sola intentione et contractus in ratione contractus valet, et etiam in ratione sacramenti.“ Defectus itaque intentionis hoc modo intellectae, fingi quidem potest; sed ut aliquando inter christianos reipsa oblineat, vix ac ne vix quidem possibile est. — Quid vero si quis eo, irreligiositatisne dicam, an vesaniae? prolatur, ut solum contractum velit concludere, sacramentum autem directe expresseque renuat? Respondeo cum Gregorio Rossignoli ²⁾: „Positive dissentiendo per voluntatem contrariam et expressam ratio sacramenti, positive dissentiretur substantiae matrimonii.“ Et sane, cum ex institutione Christi contractus connubialis euectus sit ad dignitatem sacramentalem, et ita euectus, ut quoties personae legitimae contractum efficerent, toties conficerent sacramentum: manifestum est, contractum et sacramentum in matrimonio christiano identificari, neque amplius spectari posse tamquam duas realitates ab invicem distinctas et separabiles. Quare contractus matrimonialis inter christianos si sacramentum non est, nec matrimonium censi potest. ³⁾

¹⁾ L. c. cap 20. n. 5.

²⁾ Novissima praxis theologico legalis. De matrim. contract. IV. praenot. 2.

³⁾ Eundem in sensum, ut plures alios praeteream, loquitur Lucius Ferraris Biblioth. verb. matrim. art. 1. n. 16. „Probabilius est inter fideles sive baptizatos nullo modo, ne quidem per intentionem contrahentium posse valide separari rationem sacramenti a contractu matrimonii, id est, probabilius nequit fidelis valide inire matrimonium solum ut contractum, non vero ut sacramentum . . . Et ratio est, quia ex institutione Christi in statu legis evangelicae ratio sacramenti

Ceterum doctores citati eo, quo floruerunt tempore, libere adhuc in quaestionem vocare poterant: sitne sacramentum a contractu separabile? At hodie id iam nefas esse arbitror, postquam doctrina catholica repetitis Sedis apostolicae oraculis sufficienter declarata stabilitaque est. Etenim quid ex sensu doctrinae catholicae hac in parte tenendum sit, palam edixit summus Pontifex Pius IX. tum damnatâ Ioannis Nep. Nuytz propositione: „Matrimonii sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile;“ tum in litteris, quibus regi Sardiniae de roganda lege matrimonii civilis consulenti respondit: Dogma esse fidei, matrimonium a D. N. J. Christo elevatum fuisse ad dignitatem sacramenti; et esse doctrinam ecclesiae catholicae, quod sacramentum non sit qualitas accidentalis contractui, sed de essentia matrimonii.“ Longe vero clarioribus gravioribusque verbis doctrinam hanc testatus est idem Pontifex in allocutione habita 27. Sept. 1852. ubi alia inter sic loquitur: „Neminem ex catholicis ignorare aut ignorare posse, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, ac idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem, cuiuscumque etiam civilis legis vi factam, nil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab ecclesia tantopere damnatum, at proinde a coniugali foedere sacramentum separari numquam posse.“

est essentialiter imbibita in ratione contractus matrimonialis.“ Et Thomas Sanchez, De matr. lib. 2. disp. 10. n. 6. „Ita ego sentio, quia ex Christi institutione inseparabile est a contractu matrimonii esse sacramenti, unde intentio non conficiendi sacramentum, repugnat intentioni legitime faciendi matrimonium ut est contractus; sicut e contra, qui intenderet facere sacramentum matrimonii, non autem contractum, nihil efficeret; quia ex Christi institutione haec duo sunt inseparabiliter conjuncta, et ita mutuo se ponunt ac destruunt.“

lure igitur auctores recentiores affirmant, non posse amplius a viro catholico in dubium revocari inseparabilitatem sacramenti a contractu. ¹⁾

Si, quae hactenus disputata fuere, brevi anacephaleosi constringere lubeat, sic ad conclusionem procedere licebit. Cum matrimonium ipsum, quatenus officium naturae, sive ut aliis placet, contractus naturalis est, elevatum fuerit a Christo ad sacramenti dignitatem, neque contractus a sacramento dissociari seiungique ullo pacto queat, quin ipsa matrimonii substantia convellatur: quodvis legitimum matrimonium a fidelibus christianis celebratum, sacramentum sit oportet. Atque ius et potestatem circa sacramenta eorumque administrationem divinus Redemptor non promiscuae fidelium multitudini, non etiam saeculi principibus, sed soli

¹⁾ Perrone, De matrimonio christiano. lib. 1. sect. 1. c. 6. Laforet, ses dogmes catholiqu. liv. 22. c. 1. — Unde simul primum est intelligere, quid respondendum sit viro politico sciscitanti: „Warum bekämpft man die Civilehe, wenn der Staat sie nur für diejenigen Beziehungen des Bürgers aufstellt, welche sein Gebiet betreffen, und der Kirche die Freiheit lässt, sie von ihrem Standpunkt aus und für die Beziehungen des Gläubigen zum Forum des Gewissens zu legitimiren oder nicht?“ Neue Studien und Glossen zur Tagesgeschichte von Dr. Ant. Philipp von Segesser. Das Jahr 1860. Luzern 1861. p. 73. Ideo ecclesia matrimonia, quae civilia appellantur, non tantum impugnat, sed damnat quoque ac detestatur, quia, cum ab institutis christianis sint aliena, nec matrimonia sunt. Iuxta theoriam enim politicorum neotericorum matrimonium est contractus mere civilis, nullo habito ad ecclesiam respectu, secundum leges unice civiles initus, et a sacramento prorsus separatus, quod velintne an nolint suscipere, contrahentium arbitrio et conscientiae est relictum. Quasi vero Christus contractum matrimonialem constituendo materiam sacramenti, hanc ab arbitrio hominum pendere voluisset! Ius civitatis quoad effectus temporales et accessoria matrimonii in systemate catholico illaesum est: ast inducendo matrimonium civile, magistratus politicus non accessoria, sed ea, quae essentialia et intrinseca sunt matrimonio sibi vindicat; id autem est, quod ecclesia, quin muneri finique suo desit, admittere nequit. Dein in hac theoria supponitur contractus civilis absolute necessarius ad valorem matrimonii: quod oppido falsum est; cum non civili, sed naturali contractui Christus gratiam sacramentalem adiunxerit, et matrimonium, nullo etiam interveniente contractu civili, subsistere queat.

ecclesiae attribuit. Ergo matrimonium, quod inter christianos nonnisi sacramentum esse potest, auctoritati subesse ecclesiae, nemo, nisi principiis fidei doctrinaeque christianae obnitatur, negaverit. ¹⁾ Cui quidem conclusioni nova lux novumque pondus accrescet ex eo, si duce traditione ostendatur ecclesiam in iis, quae matrimonia fidelium attinent, ordinandis, iure proprio usam omni tempore fuisse. Et profecto

II. Exercitam ab ecclesia inde a primordiis in matrimonia fidelium potestatem, documenta traditionis luculenter ostendunt.

Veritas asserti patecet, si probetur a) ipsum consilium contrahendi matrimonium non sine auspiciis ecclesiae octeptum olim fuisse; b) ecclesiam latis a se legibus matrimonia christianorum temperasse; ac in specie c) ius statuendi impedimenta, quae si adessent matrimonium iniri nequiret, initum dirimeretur, sibi uni vindicasse.

Quantopere veteri ecclesiae connubia fidelium cum gentilibus, iudaeis aut haereticis exosa fuerint, ex testimoniis s.

¹⁾ Huc facit, quod auctor iterato laudatus scribit: Zwar ist die christliche Ehe ein Zwitterding, nach der einen Seite Contract, nach der andern Sakrament, aber sie ist beides in so untrennlicher Einheit, dass der Vertrag nicht etwa nur die nöthige Grundlage des Sakramentes bildet, sondern dass der Vertrag das Sakrament und das Sakrament der Vertrag selbst ist. Wahre und giltige Ehe unter Christen ist nicht anders möglich. Wegen dieser unlösbaren Einheit von Vertrag und Sakrament müssen auch beide in ihrer Natur sich gegenseitig bestimmen, d. h. der Ehecontract muss sakramentalisch und das Ehesakrament contractlich sein. Weil der Ehevertrag sakramental ist, so kann es nur die Kirche, und nicht der Staat sein, welcher seine Giltigkeit erklärt, denn der Kirche allein ist die Verwaltung der Sakramente anheim gegeben. Oswald l. c. p. 394. Iisdem nixus principiis vir eximie catholicus Dr. Brüggemann in comitiis borussicis 13. Febr. 1860 doctrinae ecclesiae publicum perhibuit testimonium, dum ita pronuntiavit: Fasst die Kirche die Ehe als ein Sakrament auf, dann kann und darf sie die Verwaltung und die Beurtheilung des Sakraments nicht Andern anvertrauen, sondern nur der in ihr eingesetzten Autorität. Archiv für kath. Kirchenr. VI. Bd. p. 28.

Cypriani ¹⁾, Tertulliani ²⁾, s. Ambrosii ³⁾, s. Hieronymi ⁴⁾, s. Augustini ⁵⁾ satis constat. Ut igitur incommodis, quae ex coniunctione eiusmodi subnasci poterant, occurreretur, ab omnibus fidelibus requirebatur, ut, dum matrimonium inire parabant, de consilio suo episcopum redderent certiores, qui meditata nefors ab institutis christianis abhorrentes nuptias tempestive praepedire queat. Ita s. Ignatius martyr in epistola ad Polycarpum n. 5. scribit: „Decet ut sponsi et sponsae de sententia episcopi coniugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum, et non secundum cupiditatem.“ ⁶⁾ Placet hic subnectere, quae Mamachius ⁷⁾ Oudino ex hoc loco authentiam epistolarum ignatianarum vellicanti respondet: „Atque haud scio, inquit, cur vitio dari Ignatio possit, quod sine episcopi sententia matrimonia esse celebranda negaverit. At erant mulieres, quae se ab ethnicis duci vellent. Patior. Quid igitur? An non licuit antistiti hortari maiorem in modum suos, ne quid simile facerent? Nempe hoc etiam restabat, ut, probantibus episcopis mulieres christianae ab ethnicis ducerentur Noverat sane Ignatius qui sua aetate in hoc genere abusus invalisset, et quia eum aversabatur ac reprobabat, ideoque matrimonia sine episcopi sententia celebranda non esse scribebat.“ Complura Tertullianos quoque offert loca, e quibus elucet, assensum et approbationem ecclesiae hac in re expeti consuevisse. Loquens enim de foeminis quae gentilibus nupserant, vehementius in eas invehitur, dicitque se mirari „aut ipsarum petulantiam, aut consiliariorum praevaricationem.“ ⁸⁾ Quibus verbis indicat, ipsas hominum

¹⁾ De lapsis p. 123 Opp. edit. Oxon.

²⁾ Ad uxor. lib. 2. c. 3. De corona milit. c. 13.

³⁾ De Abraham lib. 1. c. 9. n. 84. Opp. tom. I. et epist. 19. n. 7. ad Vigilium Opp. tom. II. edit. maur.

⁴⁾ Contra Iovinian. lib. 1. Opp. tom. IV. part. 2.

⁵⁾ Epist. 255. ad Rustic. Opp. tom. II.

⁶⁾ Patrum Apostolicor. Opera. ed. Hefele.

⁷⁾ Originum et antiquit. christ. lib. 4. c. 4. §. 2.

⁸⁾ Ad uxor. lib. 2. c. 3.

levium atque perversorum fretas consiliis ad coniugia convolasse, a quibus, si arbitrio stetissent ecclesiae, se deterrendas praeviderunt. Alio vero loco ¹⁾ ait: „Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignatum angeli renuntiant, et pater ratum habet.“ Ubi matrimonium ab ecclesia conciliatum quid aliud esse potest, quam matrimonium, quod ecclesia annutu suo probasset. Praetereo brevitatis gratia alium locum, quem ex libro de monogamia ab eodem Tertulliano iam ad montanistarum castra transfuga scripto, producit et illustrat Iosephus Bingham. ²⁾

Sed vix aliud, opinione mea, palpabilius demonstrat ecclesiam iure sibi proprio ac nativo in moderandis fidelium matrimoniis quovis tempore usam fuisse, quam leges ab ea perlatae, quae seu limites defixit, quos nubentibus transilire nefas esset, seu rationem praescripsit, qua ipsius vinculi coniugalis firmitati ac sanctitati consuleretur. Et quidem iam ipse divinus ecclesiae Sator, qui delatum sibi litis de partienda haereditate arbitrium ³⁾ amolitus a se fuerat, interpellatus a pharisaeis, legem de nexus maritalis insolubilitate promulgare non dubitavit, ⁴⁾ quam eandem legem, appellata Domini auctoritate, ingeminat etiam Apostolus, qui simul integrum edicit uxori fidei discedere a viro infideli propter disparem cultum et religionem, si nempe maritus pacifice et sine iniuria Creatoris cohabitare nolit uxori. ⁵⁾ Atque ab his primis rei christianae exordiis ecclesia decursu saeculorum, prout expedire videbatur, innumeras pene in causis matrimonia spectantibus condidit leges, quas longa serie recensere, si exigeretur, molestum non esset; sed cum id nec adversarii negent, negareve possint, sufficiat aliquas delibasse. Igitur canon 27. inter eos, qui vulgo apostolici

¹⁾ Ibid. cap. 9.

²⁾ Origines ecclesiast. lib. 22. c. 2. §. 2.

³⁾ Luc. XII. 13—14.

⁴⁾ Matth. XIX., 9. Marc. X, 7. Luc. XVI. 18.

⁵⁾ 1. Cor. VII. 10. 13.

dicuntur, statuit: „Innuptis, qui ad clerum proveci sunt, praecipimus, ut si voluerint, uxores accipiant, sed lectores cantoresque tantummodo.“ ¹⁾ Quo canone, ut cl. Hefele et Drey observant, vetustissima, et concilio nicaeno antiquior exhibetur ecclesiae disciplina, qua iis, qui caelibes in clerum adsciti fuerunt, connubia inire cautum erat. Concilium illiberitanum a. 305—306 celebratum, canone 15. prohibet nuptias cum gentilibus: „Propter copiam puellarum, (sunt verba canonis) gentilibus minime in matrimonium dandae sunt virgines christianae, ne aetas in floretumens in adulterium animae resolvatur.“ Et canone 16. parentes, qui filias ethnicis dare ausi fuerint, quinque annorum excommunicatione mulctari iubet: „Haeretici, si se transferre noluerint ad ecclesiam catholicam, nec ipsis dandas esse puellas, sed neque iudaeis, neque haereticis dare placuit eo, quod nulla possit esse societas fidei cum infidei: si contra interdictum fecerint parentes, abstinere per quinquennium placet.“ Concilium arelatense a. 514. canone 11. etiam puellas ethnicis iunctas vult eidem poenae aliquamdiu subiici: „De puellis fidelibus, quae gentilibus iunguntur, placuit, ut aliquanto tempore a communione separentur.“ Concilium agathense a. 506, canone 61, et post illud epaonense a. 517. can. 30. de incestuosis decrevit, ut spe coniugii privarentur, et illis matrimonium interdiceretur. Concilium milevitanum 2. a. 416. can. 17. coniuges ab invicem separatos ad novas transire nuptias prohibet: „Placuit, ut secundum evangelium et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri coniungatur, sed ita maneant, aut sibi reconcilientur.“ ²⁾ Idem iam antea

¹⁾ Hefele, Conciliengeschichte I. Bd. p. 781.

²⁾ Canonem hunc Gratianus c. 5. C. XXXII. qu. 7. desumpsit ex Isidoro, qui, ut advertit Harduinus Acta Concil. tom. I. col. 1220. plures canones tribuit concilio milevitano, qui tamen in aliis conciliis latuerunt; cuiusmodi est etiam quem adduximus, qui constitutus est a concilio plenario Africae, seu carthaginiensi 11. a. 407. Conf. Hefele, Conciliengeschichte II. Bd. p. 88.

concilium illiberitanum can. 8. et 9. ac postmodum concilium venetense a 405 can. 2., agathense can. 2., aurelianense 2. a. 555, can. 11. vetuerunt. Voto castitatis obstricti, ne matrimonium contrahere praesumant, repetitis vicibus, intentatisque gravissimis poenis sancitum fuit; ut in concilio chalcedonensi a. 451. can. 16., triburiensi a. 895. can. 25. et aliis. — Non insistam ultra retexendis legibus per ecclesiam latis, ne in re aperta nimius videar; alioquin in immensum procurreret tractatio, si, quae a pontificibus et conciliis seu oecumenicis, sive particularibus hoc in negotio sapienter constituta fuerunt, persequi luberet.

Sed enim, inquiunt Launojus, et qui ex eius armamentario ad confodiendam omnem potestatem ecclesiasticam tela mutantur, quicquid auctoritatis ecclesia aetate illa antiqua circa matrimonia fidelium exercuit, id aut permittentibus, aut conniventibus principibus usurpavit. — Quam vero hoc non solum inverecunde affirmetur, sed et ab omni veritate sit alienum, facile patet. Imprimis namque, cum inde a temporibus apostolorum potestatem, de qua loquimur, exercitam ab ecclesia indubitatis constet documentis, percontari liceat: quisnam principum primus eo privilegio ornaverit ecclesiam, ut leges ferret, quae sacramenti matrimonii celebrationem concernunt? Id Neroni, Caligulae, aut Domitiano in acceptis referendum non fuisse, ipsos quoque adversarios haud aegre daturus opinor. Ergo christianorum principum aliquis fuerit, est necesse: sed quis ille tandem fuit? Neque enim in historia ullum occurrit vestigium, ex quo eum nedum designare, sed vel divinare possis; neque credibile est, imperatores, quin reclamarent, passuros umquam fuisse, ut in ius sibi proprium ecclesia tacite involet, eiusque pacifica possessione perfruatur. Scio equidem Honorium, Theodosium iuniorem, ac praesertim Iustinianum leges tulisse matrimoniales; sed eas tulerunt non ut auctores, qui suo nomine leges praescriberent ecclesiasticas; verum ut fautores ac vindices, qui interpositâ suâ auctoritate sanctionibus canonicis

obsequium procurarent. Quod cum multa alia, tum ipse codex iustinianus evidenter docet, uti dum imperator ¹⁾ diserte proficitur, se in edictis suis sacras sequi regulas; aut dum clericum bigamum ordine moveri decernens, ²⁾ ad divinos canones provocat, et ita concludit: „His igitur, quae sacris canonibus definita sunt, insistentes, praesentem sancimus legem.“ Ut adeo Van Espen ³⁾ iure meritoque scripserit: „Leges iustinianae, evangelicae aut canonicae sanctioni minime contrariari; sed potius canonum, et pristinae patrum disciplinae synopsis sive epitamen continere, earum diligens scrutator agnoscat.“ ⁴⁾

Quam longe abfuerint principes, ut iurisdictionem ecclesiasticam seu in genere, seu in specie relate ad matrimonia impugnent, aut ei sese ingerant, copiosa, quae memoriae prodita sunt, ostendunt exempla. Sic Theodoricus rex Italiae, quamquam arianus, in synodo romana 3. sub Symmacho a. 501. palam pronuntiavit, iudicium rerum, quae in quaestionem venerunt, synodo servatum esse, „nec aliquid ad se praeter reverentiam de ecclesiasticis negotiis pertinere.“ ⁵⁾ Et in sua praeceptione ad synodum, ait: „Quia non nostrum iudicavimus de ecclesiasticis aliquid censere negotiis.“ ⁶⁾ Honorius Arcadium et Theodosium iuniorem, datâ ad eos in causa Ioannis Chryso-

¹⁾ Novell. 83. et alibi.

²⁾ Novell. 137.

³⁾ Tractat. hist. can. par. 10. cap. 1. §. 6.

⁴⁾ Praetereunda heic non est coniectura Ludov. Thomassini, vetus et nov. eccles. discipl. par. 2. lib. 3. c. 46. n. 5. iustinianum leges, quas de rebus ecclesiasticis conditurus esset, ad eos episcopos referre consuevisse, qui Constantinopolim negotiorum causa solebant convenire frequentes, ac quoddam veluti perpetuum patriarchale concilium constituebant. „Probabiliter illud quoque creditur, ait Thomassinus, ad hos maxime episcopos retulisse iustinianum de iis canonibus et regulis ecclesiasticis, quas inserebat ipsemet illis constitutionibus, quae eius nomine et auspiciis in lucem exibant; ut quas cum episcopis elimasset ac trutinatus esset, pervigiles cum iis noctes crebro traducens, prout a Procopio narratum est De bello gothico lib. 3. c. 32. et 35.“

⁵⁾ Collect. concil. tom. V. col. 450.

⁶⁾ Ibid. col. 466.

stomi epistolâ admonet: „Cum de causa religionis inter antistites ageretur, episcopale oportuisse esse iudicium; quoniam ad illos divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium.“ ¹⁾ Et ut aliqua attingam, quae ad rem nostram proprius faciunt: Chilperichus in synodo parisiensi a. 577. exposulavit contra Praetextatum archiepiscopum rothomagensem, quod filium suum Merovechum cum amita Brunchilde contra canonum statuta coniunxisset. ²⁾ Childebertus circa a. 595. de connubiis incestis statuens, dicit: „Per praedicationem episcoporum iussismus emendari.“ Carlomannus in conventu liptinensi a. 743. cap. 3. „Similiter, inquit, praecipimus, ut iuxta decreta canonum adulteria et incesta matrimonia, quae non sunt legitima, prohibeantur, et emendentur episcoporum iudicio.“ Carolus magnus passim in suis capitularibus a canonibus ecclesiae praesidium et auctoritatem advocat. Lib. 5. cap. 274. postquam certas prohibuit nuptias: „Ita, inquit, Gregorius sensit; ita canones prohibent copulari.“ Et lib. 6. cap. 96. postquam declaravit inter raptorem et raptam ratum non esse matrimonium: „Sacri, inquit, canones non solum raptores, sed etiam omnes eorum cooperatores, eisque consentientes, anathemate feriunt.“ ³⁾ Unde ex vero asserere potuit Petrus de Marca. ⁴⁾ „Vix ullam proferri posse constitutionem principum, quae de ritibus, caeremoniis, sacramentis, cleri censura, functione, conditionibus et disciplina, lata fuerit ex mero potestatis saecularis imperio.“ Nec minus vera, dignaque notatu sunt, quae apposite ad hoc argumentum scribit Guilielmus Beveregius, ⁵⁾ vir inter anglicanos tum doctrina illustris, tum ingenii moderatione

¹⁾ Constant, Epistolae Rom. Pontif. tom. I. col. 801.

²⁾ Gregor. Turon. Hist. Franc. lib. 5. c. 19.

³⁾ Plura videri possunt apud Steph. Baluzium, Capitularia regum Francor. Paris. 1780. tom. I.

⁴⁾ De Concordia imperii et sacerdot. lib. 2. c. 7. n. 8.

⁵⁾ Synodicon, sive Pandectae canonum ab ecclesia graeca receptor. tom. I. proleg. n. 2.

commendatus. Ita autem ille: „Si de fide loquamur christiana, et legibus ad ecclesiasticam spectantibus disciplinam, ipsi etiam imperatores christiani ingenue multoties professi sunt, nihil sibi iuris in istiusmodi sanciendo rebus tributum esse. Sic Constantinus magnus, Valentinianus, Marcianus, Theodosius alique. Quin ipse etiam omnium peritissimus legum imperator Iustinianus, in ea fuit sententia, leges nempe civiles non praecedere debere, sed sequi ecclesiasticas, idque sine dedignatione: Secundum sacras, inquit, et divinas regulas, quas etiam nostrae sequi non dedignantur leges Novell. 83. Hinc est, quod etiamsi imperatores multa de ecclesiasticis personis et rebus in constitutionibus suis ediderint; nihil tamen de novo constituerunt, sed ea tantum, quae ab ecclesiasticis synodis prius constituta fuerant, ipsi sua etiam auctoritate confirmarunt: adeo ut quaecumque in codice aut in novellis de personis causisve ecclesiasticis asserantur, ab ecclesiastica aliqua potestate antea sancita fuerint, quam illuc relata; ut ex singulorum istiusmodi locorum inductione cuivis canonici pariter atque politici perito iuris facile patebit.“

Quae cum ita sint, mirari subit Launorum eiusque sequaces in patrocinium suae de regia principum in matrimonia potestate sententiae, non sine fiducia triumphi obtendere potuisse concilii milevitani 2. canonem 17. supra citatum, quem patres, interdicta coniugibus ab invicem separatis alterius connubii licentia, his verbis concludunt: „Quodsi contemserint ad poenitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgari.“ En, inquit adversarii, concilii patres videntes comminatione poenitentiae, canonem suo haud conciliari vim necessariam ac legalem, non ad concilium plenarium, non ad pontificem, sed ad imperatorem confugiunt, ut eius edicto id genus matrimonia declarentur irrita. — Quomodo ex citatis canonis milevitani verbis sensus hic possit extundi, sane non video. Vel enim canon ille non habuit vim obligandi fideles in conscientia, ac proinde eius transgressio omni vacabat culpa; et tum patres summe iniqui dicendi sunt, qui tam gravem in

transgressores poenam dictaverint: vel, quod omnino fatendum est, vim habuit obligandi, et tum patres non alio fine ad imperatorem recurrisse putandi sunt, quam ut is decreto synodali contra refractarios certiolem procuraret effectum, ut id iam Ferdinandus Mendoza ¹⁾ celeberrimus iuriconsultus observavit, dicens: „Legem autem imperialem ideo ferri postulant africani episcopi, ut quos ecclesiae monita vel anathematis censura a secundis nuptiis non cohiberent, cohiberent tandem severissimae imperatorum sanctiones poenis confirmatae civilibus.“ Ceterum missis aliis, quae nec pauca, nec contemnenda suppetunt, rationum momentis, quibus potestas ecclesiae circa matrimonia iure niti originario, nequaquam autem adventitio probetur, illud adhuc unum proferam, quod immortalis iurium ecclesiasticorum in Belgio propugnator card. de Frankenberg in suo Iudicio doctrinali professoribus Lovaniensibus opposito expolivit, quodve huc redit: concilium tridentinum sess. 24. canonibus 3. et 4. dogmatice definivit, competere ecclesiae potestatem ferendi leges matrimoniales; ita vero definiturum non erat, neque recte definire potuisset, si eam potestatem ecclesia beneficio principum saecularium concessam fuisset adepta; cum eiusmodi concessio factum sit mere humanum, ideoque obiectum definitionis dogmaticae esse nequeat. Accedit, in sententia adversariorum posse principes, si velint, concessam a se potestatem etiam revocare, quod si fieri contingeret, definitionem ecclesiae dogmaticam fore falsam manifestum est. ²⁾

Non memorantur exempla imperatorum orientis, omnem propemodum iurisdictionem hierarchicam, aevo praesertim medio sibi arrogantium; uti nec leges, quas a principibus latas, ecclesia quandoque adoptavit. Quod enim temporibus Palaeologorum graeci nonnulli eo adulatione sua devenerint, ut principibus suis totius ecclesiasticae disciplinae summam deferrent, quis

¹⁾ De confirmando concilio illiberitano.

²⁾ Perrone, Praelect. theolog. vol. IX. p. 207.

prudens, id in praeiudicium trahet doctrinae catholicae? Quod autem leges attinet principum de matrimonio rogatas, eas ecclesia non sibi obtrusas, sed tamquam aetatis populorumque indigentis admensuratas, sponte acceptavit, suasque fecit; neque vim illae habuerunt ullam, ut ait Natalis Alexander ¹⁾ „nisi quia sunt ab ecclesia receptae et approbatae. Sicut enim leges de rebus mere civilibus in conciliis promulgatae, nullius sunt roboris, nisi quia ratae habentur a principibus laicis; ita nec leges de rebus ecclesiasticis a saecularibus principibus conditae ullius sunt momenti, nisi ab ecclesia ratae habeantur.“ ²⁾

Nec moveant quemquam recoctae toties obtrectationes eorum, qui legislativam ecclesiae in re matrimoniali potestatem ab usurpatione subreptitia, aut falsis Isidori decretalibus derivant. Priores namque insignem produnt animi malignitatem, dum sine tabulis, sine testibus tot sanctos doctosque pontifices et episcopos violati iuris alieni reos agunt. Posteriores autem pudendae ignorantiae specimen edunt, dum nesciunt, vel nescire simulant, ante saeculum 9^{um}, quo primum decretales Isidori in lucem prodierunt, plurimas iam ab ecclesia circa matrimonium conditas fuisse leges.

Sane auctoritatem suam ecclesia in moderandis christianorum coniugiis ita quovis tempore exercuit, ut non tantum

¹⁾ Histor. eccles. saec. sext. c. 7. art. 2.

²⁾ Praeclare, et more suo eleganter cl. M o y ait: Man setze uns nicht die Gesetze der griechischen Kaiser und Karls des Grossen, noch auch die Hindernisse entgegen, welche die Kirche, auf das Ansehen der weltlichen Gesetze, von diesen angenommen hat. Was die Kaiser im Einverständniss mit der Kirche und auf ihren Antrag verordneten, gibt keinen Beweis gegen uns. Was die Schwäche und die ehrsüchtige Nachgiebigkeit der Patriarchen von Konstantinopel sie usurpiren liess, kann als Autorität nicht gelten. Was den Vorurtheilen der Zeit und der Hartnäckigkeit verkehrter Gewohnheiten nachgegeben werden musste, lässt sich als Beispiel nicht anführen. Und was das Uebrige anbelangt, was die Kirche von der weltlichen Gesetzgebung angenommen hat, so ist klar, dass sie nicht wohl rücksichtlich der Sitten, der Achtung für die Bande des Blutes etc. minder streng sein konnte, als die weltlichen Fürsten. Archiv für kathol. Kirchenrecht. I. Bd. p. 741.

leges independenter ab annutu principum tulerit; sed et ius constituendi impedimenta, quae dirimentia vocant, sibi uni vindicaverit, et si quid hac in parte legibus civilibus iuri divino aut ecclesiastico minus consentaneum statutum esset, aboleverit correxeritque. Praeterquam enim quod iam ex s. Iustini M. ¹⁾ et Athenagorae ²⁾ testimoniis constet, matrimonia nonnulla legibus imperialibus permissa, inter christianos habita fuisse tamquam adulterina; insuper ecclesia non semel approbavit connubia iure romano interdicta, et rex adverso irrita cassaque declaravit, quae legibus imperatorum sive ethnicorum sive christianorum admittebantur. Sic dissoluto ex causa adulterii coniugio, ad novas transire nuptias, iure civili fas erat; ³⁾ at id concilium illiberitanum can. 9. et milevitanum 2. can. 17. nefas esse pronuntiavit. In concilio illiberitano canone 61., et neocaesarensi can. 2. statuitur impedimentum affinitatis intra certos gradus, de quibus a legibus civilibus ante Iustinianum nihil constitutum fuerat. Gregorius Magnus ⁴⁾ Augustino Anglorum episcopo intimat, non esse attendendum ad legem romanorum, permittentem matrimonia in secundo gradu, sed iniri ea tantum posse in tertio et quarto gradu. Antiquo civili iure romano nulla fuere matrimonia filiorumfamilias sine parentum consensu contracta; ⁵⁾ et ea recentius quoque a pluribus legislationibus pro illegitimis et irritis sunt declarata: attamen ecclesia ea rata habet ac legitima.

Quam vero alta iam primis fidelibus insederit opinio, solius ecclesiae hac in re standum esse iudicio, alia inter docet historia haereseos montanistarum, quae saeculo 2. turbavit

¹⁾ Apolog. maior. n. 15.

²⁾ Legatio pro christian. n. 32 et 33.

³⁾ Novell. Iustin. 117. c. 10. 11. Novell. 134. c. 11.

⁴⁾ Lib. 11. epist. 64. Opp. tom. II. col. 1154. edit. maur.

⁵⁾ Cod. Iustin. lib. 5. tit. 4. de nuptiis. leg. 12. 20 lib. 9. tit. 13. Instit. lib. tit. 1. 10. de nupt. Digest. lib. 20. tit. 2. de ritu nupt. Ulpian. cod. tit.

ecclesiam. Montanistae nempe secundas nuptias abominati, non solum negabant eas sacramentum esse; sed ipsum contractum nullum ac prorsus irritum dixerunt, ut patet ex s. Augustino ¹⁾ iuxta quem „secundas nuptias pro fornicationibus habuerunt.“ Quodsi fideles eius aetatis validitatem contractus matrimonialis a lege civili pendere credidissent, profecto iudicium ecclesiae interpellaturi non erant; in vulgus quippe notum erat, contractui eiusmodi ex statutis principum suam constare validitatem. Illi interim ad pastores recurrunt, satis hoc facto ostendentes, persuasum sibi fuisse, oborto de legitimitate vinculi matrimonialis dubio, controversiam nonnisi iudicio ecclesiastico posse dirimi. Doctrinâ igitur montanistarum in examen vocatâ, fratres lugdunenses, teste Eusebio ²⁾ „privatum iudicium suum religiosum imprimis et cum recta fide consentiens.“ Eleutherio romano Pontifici, ecclesiis item Asiae et Phrygiae transmiserunt. Errorem montanistarum tardius a novatianis resuscitatum denuo damnavit concilium nicaenum 1. can. 8. ubi iubet, ut novatiani ad sinum ecclesiae reduces scripto profiteantur, se bigamis communicare. ³⁾

Huc procul dubio facit etiam, quod s. Hieronymus in epistola ad Oceanum ⁴⁾ narrat de Fabiola, nobilissima matrona romana, quae dimisso propter adulterium et mores intolerandos marito, alteri nupsit. Quamquam autem per legem civilem id facere potuerit: „putabat enim, ut ait s. Doctor, a se virum iure dimissum, nec evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio viventibus viris, feminis amputatur“: tamen secundo marito fati functo poenitentiae publicae, tota urbe spectante, se subiecit, praevaricationem sacrorum canonum, id genus nuptias severe prohibentium, expiatura. Nequicquam

¹⁾ Lib. de haeresib. ad Quodvultdeum c. 26.

²⁾ Ecclesiast. hist. lib. 5. c. 3.

³⁾ Card. Gerdil, Frammento IV.

⁴⁾ Epist. 84. Opp. tom. IV. par. 2. col. 658. ed. maur.

vero Josephus Bingham ¹⁾ hoc factum enervare nititur, dum putat non ab ecclesia hanc Fabiolae impositam poenitentiam, sed ob ea sponte ac nemine compellente susceptam. Esto namque ita sit, quid tum? Credetne quisquam foeminam spectatae adeo conditionis, et deliciis innutritam arduos poenitentiae publicae labores subituram fuisse, nisi intellexisset facto suo legibus ecclesiae adverso gravem dictatam esse poenam? Sane ipse Bingham fatetur, Hieronymum affirmare, foeminam, quae sic nupserat alteri, adulteram reputari, nec sacram communionem recipere posse, antequam poenitentiam pro crimine suo egisset; et in ecclesia hispanica ante haec tempora aliquid publicae disciplinae contra eiusmodi personas, maxime mulierem, quae priore marito adhuc vivente alteri nupsisset, adhibitum fuisse.

Sed reges quoque ac principes saeculares iudicium ecclesiae in iis, quae vinculum attinent coniugale, suspexerunt, seque ei obnoxios professi sunt, dum et ipsi ad ecclesiasticam confugerunt auctoritatem, si forte aut ab aliquo impedimento, quo detinebantur, dispensari, aut novam circa matrimonium legem sanciri voluissent; quod quidem liquido apparuit in concilio tridentino, a quo, ut refert Pallavicini ²⁾ rex Galliarum per oratorem suum duo solemni petitione postulavit: tum ut dirimerentur coniugia clandestina, tum ut irrita fierent coniugia filiorum-familias citra parentum consensum inita: quorum prius annuit concilium, alterum negavit, immo contrarium sub anathematis poena tenendum decrevit. In utroque casu iure suo, et non a principibus accepto usam fuisse ecclesiam, quis non videt? Accedit, si principes aliquando in animum induxissent inconsultâ ecclesiâ impedimenta statuere dirimentia, haec ab ecclesia declarata fuisse omni vi destitui, ut alia inter docet responsum sacrae Poenitentiariae datum 1. Junii 1824 ad episcopum vivarriensem, qua edicit, valida omnino esse christianorum coniugia

¹⁾ Origin. sive antiquitat. ecclesiast. tom. IX. lib. 22. c. 2.

²⁾ Histor. concil. trid lib. 22. c. 1. n. 16.

inita cum impedimentis civilibus irritantibus, ac praeterea addit: „Ita eruitur ex instructione a suprema Inquisitione per s. Congregationis concilii organum ad episcopum brexinonensem anno 1824 transmissa: Matrimonii fidelium, quibus nullum obstat canonicum impedimentum, suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, qualiacumque tandem fuerint impedimenta a saeculari potestate, ecclesia non consulta nec probante, perperam ac nulliter constituta.“ ¹⁾

Denique conventiones hac nostra tempestate ab omnibus fere Europae principibus cum Sede apostolica initae, quibus cetera inter, matrimonia catholicorum ad concilii tridentini, et canonum sacrorum placita revocantur, an non totidem sunt documenta agnitae potestatis, qua ecclesia in connubia suorum pollet?

Iam si tam varia, tamque multiplicia, quae historia suggerit testimonia (quorum aliqua tantum carptim indigitare licuit), mente praeiudicii haud offuscata expendantur: potestne, quaeso, aliquid afferri in medium, quod evidentius doceat, et ecclesiam potestatis suae moderandi fidelium coniugia consciam sibi quovis tempore fuisse, et principes persuasum habuisse, nihil sibi iuris in iis, quae essentiam attingunt matrimonii, competere? Unde vel ipse Van Espen ²⁾ huiusmodi rationibus impulsus ultro agnovit palamque propugnavit, auctoritatem ecclesiae in statuendis impedimentis non ex liberalitate principum, sed ex Christi institutione profluxisse. Exposita namque sententia Petri Soto, et laudato Gerbessio doctore sorbonico, quod plura antiquitatis testimonia et exempla, quae ecclesiae potestatem ponendi impedimenta matrimonii evincunt, per omnia saecula deduxerit, ostenderitque, hanc auctoritatem non accepisse ecclesiam a principibus saecularibus, sed a Christo, eamque iure proprio a

¹⁾ Perrone l. c. p. 221. not. 7.

²⁾ Ius ecclesiast. univers. Lovan. 1753. tom. I. par. 2. tit. 13. cap. 1. §. 20. p. 575.

primis saeculis usque ad haec tempora semper hac auctoritate usam fuisse, tandem ita concludit n. 20: „Igitur filium traditionis insecuta synodus tridentina, recte anathema dixit in eum, qui dixerit: ecclesiam non potuisse constituere impedimenta dirimentia, vel in iis errasse.“

Nec solum synodus tridentina eam potestatem, intentato anathemate, ecclesiae vindicavit; sed et Pius VI. in constitutione dogmatica „Auctorem fidei“, doctrinam synodi pistoriensis, quae potestatem illam ad principes dumtaxat civiles originarie spectare asseruit, velut haereticam damnavit.

Quodsi ergo suam ecclesia a Christo nacta est potestatem; si eam inde ab incunabulis suis usu non interrupto exercuit; si potestatem hanc iure proprio ac nativo illi competere negari nequeat, quin nota haereseos incurratur; quidni consequens est: sententiam eorum, qui potestatem ecclesiae in constituendis impedimentis ipsi delegatam a principibus, non autem propriam et originariam sibi a Christo concessam contendunt, dicendam esse haereticam. ¹⁾

¹⁾ Ceterum observandum, eam solum sententiam esse, dicique posse haereticam, quae a iansenistis propugnata, potestatem statuendi impedimenta dirimentia soli iurisdictioni civili asserit, quaeve propositione 59. synodi pistoriensis expressa habetur his verbis: „Ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddant, dicunturque dirimentia.“ Hanc quippe propositionem citata constitutio Pii VI. censura haereticali configit; huius ergo contradictoria, quae catholica et proprie de fide est, ita sonat: Non ad supremam civilem potestatem dumtaxat spectare etc. . . Quamobrem doctrina a gallicanis theologis Gerbesio, Tournely, Carrière aliisque passim defensa: potestatem statuendi impedimenta dirimentia competere etiam potestati civili, haeretica non est; ea enim, ut advertit card. Gerdil, dictâ constitutione pontificiâ non feritur. Eo tamen non obstante, longe a communi doctrina catholica aberrant, qui etiam principi civili tribuunt ius ferendi leges, quibus matrimonium fidelium reddatur irritum, praesertim hodie, postquam Sedes apostolica editis iteratis declarationibus clare edixit, impedimenta dirimentia matrimonia christiano ab auctoritate civili posita, non habere vim illud irritandi. Conf. Perrone. l. c. p. 223. in notis.

III. Reliquum est, ut quod in praesenti controversia palmare ac plane decretorium videri debet argumentum, in medium proferatur, atque ex eo propositae quaestionis solutio eliciatur.

Causas matrimoniales ad tribunal forumque pertinere ecclesiae, concilium tridentinum sess. 24. canone 12. expresse definivit: „Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, a. s.“ — Hunc porro canonem regulam fidei constituere, ac proin dogmaticum esse, non autem mere disciplinarem ut ii volunt, qui contrarium sentientes vibratum a concilio anathema eludere nituntur, satis liquet tum ex eo, quod concilium hanc de iurisdictione ecclesiae doctrinam non in aliquo de reformatione capite exposuerit; sed canone comprehenderit, quo semper catholicum dogma stabilire solet; tum ex intentione apertaue declaratione ipsius concilii: volebant nempe Patres tridentini solemniter definire doctrinam catholicam, oppositam commentis Lutheri et Calvinii, nihil in coniugio christianorum, quod potestati politicae obnoxium non sit, admittentium; in prooemio namque canonibus sessionis 24. praemisso palam edicunt, se anathematis quos illic sequuntur, decrevisse in haereses et errores, qui de matrimonii sacramento ab impiis eius saeculi hominibus sparsi fuerunt. Dum igitur canone 12. inter has haereses et errores anathemate perstringit eos, qui negant ius esse ecclesiae cognoscendarum causarum matrimonialium: nonnisi obfirmata cavillandi licentia canonem hunc dogmaticum esse inficiari potest; tanto quidem certius, quod teste quoque Paulo Sarpi, canon iste dum promulgaretur, ab omnibus ita fuerit intellectus, ut persuasum habuerint eo articulum fidei definiri; neque enim secus graviter adeo offendi potuissent viri politici, dum censuram haereseos infligi audierunt iis, qui dicerent, cognitionem causarum matrimonialium non spectare ad iudices ecclesiasticos. ¹⁾

¹⁾ Verba Sarpii ex interpretatione gallica Courayeri, quae mihi prae manibus est, haec sunt: Le douzième canon, qui taxoit d'heresie

Neque concilium dogmatica hac definitione aliud, quam sensum communem praxinve totius ecclesiae inde a principio vigentem expressit. Etenim, ut verbis utar Bellarmini, ¹⁾ matrimonium est ecclesiae sacramentum, neque apud christianos separatur contractus legitimus matrimonii a sacramento matrimonii, cum omnis legitimus contractus matrimonii hoc ipso sit sacramentum matrimonii. Ergo iudicare an aliquis contractus matrimonii sit legitimus, est iudicare an ille contractus sit sacramentum: sed de sacramentis iudicare, ad ecclesiam spectat; igitur de tali contractu iudicare ad ecclesiam spectat. Conclusionis veritatem sensit ipse Calvinus ²⁾ scribens: „Ubi semel obtinere (catholici) matrimonium esse sacramentum, coniugaliū causarum cognitionem ad se contraxerunt; quippe res spiritualis erat profanis iudicibus non attrectanda.“ — Hinc, ut ex actis conciliorum, et epistolis decretalibus romanorum pontificum innotescit, ea semper in ecclesia fuit consuetudo, ut de causis matrimonialibus non reges, sed pontifices instituerent cognitionem, ferrentque sententiam. Siricius epist. 10. ad gallos episcopos, et Innocentius I. epist. 2. ad Victricium ³⁾ connubia eorum qui votis essent obstricti, irrita pronuntiarunt. Alexander III. ⁴⁾ et Honorius III. ⁵⁾ cognitionem de legitimitate natalium; Innocentius III. ⁶⁾ causas matrimoniales universim foro ecclesiastico vindicant. Concilium coloniense 1549. iudicibus saecularibus excommunicationem minatur, si de matrimonialibus rebus, praeterquam in accessoriis temporalibus usurpent. ⁷⁾ Quodsi

ceux qui diroient que la connoissance des causes matrimoniales n'appartient point aux juges ecclesiastiques, revoltu étrangement les politiques etc. Histoire du concile de Trente. liv. 8. n. 66.

¹⁾ De matrim. c. 32.

²⁾ Institut. lib. 4. cap. 19. §. 37.

³⁾ Constant, Epistolae rom. pontif. tom. I. col. 688. et 759.

⁴⁾ c. 5. et c. 7. X. Qui filii legit. IV. 17.

⁵⁾ c. 3. X. De ordine cognit. II. 10.

⁶⁾ c. 12. X. De excessib. praelat. V. 31.

⁷⁾ Cabassut. Notit. eccl. saec. 16. p. 669.

fortasse principes impedimento canonico irretiti matrimonia celebrassent, tantum abest ut ecclesia iis conniveret, ut potius intrepida firmitate obsisteret, eaque tamquam nulla rescindenda urgeret. Vigilius irritavit matrimonium Theodeberti francorum regis cum vidua fratris sui. Leo III. diremit matrimonium Henrici I. Castiliae regis cum filia regis Lusitaniae propter impedimentum consanguinitatis. Gregorius V. nullum declaravit matrimonium inter Robertum regem Galliae et Bertam eius consanguineam. Aliquando pontifices idgenus causas episcoporum concilio decidendas detulerunt. Ita Alexander II. apud Gratianum ¹⁾ Guillelmo cuidam interdicit, ne propriam uxorem consanguinitatis praetextu praesumat dimittere, donec episcoporum religiosorum concilium causam istam examinaverit. Lis, quae vertebatur inter Lotharium imperatoris Lotharii filium et Teuthbergam super validitate connubii inter eos antea contracti, discussa fuit in synodo aquisgranensi, cumque ab istius sententia Teuthberga appellasset ad Nicolaum I., idem pontifex concilium Metis celebrandum indixit, suisque legatis illuc missis, ut de hac causa iudicarent, praecepit. In actis concilii remensis a. 1119. habiti, cui praefuit Callixtus II. legimus, Hildegardem uxorem Wilhelmi comitis pictavorum, ad synodum accessisse, et eloquentiâ muliebri de repudio questam fuisse. Cum vero pontifex inaudito comite causam definire non posset, ei certum constituisse terminum, quo in curiam papae veniret, ac aut legitimam uxorem reciperet, aut pro illicito repudio sententiam anathematis reciperet. ²⁾ Sed quid multis opus? quandoquidem omnibus, qui rem sine ira et studio agunt, nec in scirpo nodum quaerunt, exploratissimum est, usque saeculum fere 16. auctoritatem ecclesiae in cognoscendis causis matrimonialibus impugnatam haud fuisse. Certe tribus primis saeculis christianos in

¹⁾ c. 10. C. XXXV. qu. 6.

²⁾ Bened. XIV. De synod. dioeces. lib. 9. c. 9. n. 3.

negotiis connubialibus ad civiles magistratus recurrisse, nuspiam comperimus; uti nec illud, ab imperatoribus religionem christianam amplexis ecclesiam in exercitio suae iurisdictionis impeditam turbatamque fuisse. Ubi vero populi, stirpis praesertim germanicae, gremium ecclesiae subingressi sunt, tum demum sanctiones canonicae plenum vigorem consecutae, et causae matrimoniales in synodis plerumque discussae fuerunt.¹⁾ Quare mirum non est, theologos aequae ac canonistas longe ante concilium tridentinum potestatem hanc ecclesiae, tamquam rem obvie notam, et a nemine in controversiam vocatam, asseruisse. Ita iam Bernardus papiensis a. 1190.: „Sciendum est itaque, ait, quod cum causa matrimonii spiritualis sit, et ideo ad ecclesiasticum iudicem spectet, atque per canones definiri etc.“²⁾ Eundem in sensum loquitur etiam s. Thomas³⁾ et alii. Ut adeo hic quoque ex vero affirmari possit: synodum tridentinam nonnisi filum traditionis insecutam, anathema dixisse in eos, qui negarent, causas matrimonialis ad iudices spectare ecclesiasticos.

¹⁾ Schon im römischen Reiche vor ihrer Anerkennung handhabte die Kirche gegenüber dem römischen Rechte, dessen Eherecht auf bloß starren Rechtssätzen, nicht auf ethischen Principien beruht, ihr eigenes Recht, dessen Uebertretung mit der Ausschliessung aus ihrer Gemeinschaft belegend. Mit ihrer Anerkennung seitens des Staates blieb ihr dieses gestattet Vom Eintritte der fränkischen und übrigen germanischen Stämme in die Kirche an leitete diese auf den Synoden die Ehesachen, und gelangte dahin, schon im achten und neunten Jahrhunderte ihren Sätzen fast allgemeine und unbedingte Geltung zu verschaffen, wobei die weltliche Gesetzgebung sich auf die rein vermögensrechtliche Seite beschränkte. Die Jurisdiction, welche der Kirche theils zufolge eines nationalen Principes in den germanischen Reichen von Anfang zustand, musste auf unserem Gebiete eine um so nothwendigere und ausschliessliche werden, als Niemand daran zweifelte, dass die Ehe als Sakrament und daher alle darauf bezügliche Fragen nur dem legislatorischen und iurisdictionellen Berufe der Kirche unterständen. Schulte, System des allgem. kath. Kirchenrechts p. 591.

²⁾ In Summula de matrim. tit. 22. quam introductione historica ornata nuper primus edidit Fried. Kunsmann in Archiv für kath. Kirchenrecht VI. Bd.

³⁾ In lib. IV. dist. 35. qu. un. art. 3. ad 5.

Quam quidem concilii doctrinam tardiores pontifices romani, cumprimis Benedictus XIV., Pius VI., Pius VII., Gregorius XVI., ac Pius IX. datâ quâvis occasione in memoriam revocare, et contra insurgentem praxin contrariam vindicare non praetermiserunt. Sic, ut unum exempli instar exhibeam; cum respublica neogranatensis matrimonium civile violatâ sacramenti sanctitate, induceret, Pius IX. habitâ in consistorio secreto 27. Sept. 1852. allocutione, adversus legem iniquam his verbis reclamavit: „Nihil dicimus de illo decreto, quo matrimonii sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despectâ, eiusque constitutione et naturâ prorsus ignoratâ et eversâ, atque ecclesiae in sacramentum idem potestate penitus spretâ, proponebatur iuxta iam damnatos haereticorum errores atque adversus catholicae ecclesiae doctrinam, ut matrimonium tamquam civilis tantum contractus haberetur, et in variis casibus divortium proprie dictum sanciretur, omnesque matrimoniales causae ad laica deferrentur tribunalia et ab illis iudicarentur.“ Ubi vides, propositionem de causis matrimonialibus ad laica tribunalia deferendis, accenseri iam damnatis haereticorum erroribus. Ecclesiam quae hodie est, ne latum unguem a doctrina per concilium trid. dogmatice stabilita recessisse, immo sedulo invigilare, ut ea sarta tectaque servetur, evidentissime loquuntur etiam conventiones inter Sedem apostolicam et varia regna initae, uti bavarica 1817. art. 12., sicula 1818. art. 20. et praetermissis aliis, austriaca 1855, quae art. 10. ita habet: „Quum causae ecclesiasticae omnes et in specie, quae fidem, sacramenta, sacras functiones, nec non officia et iura ministerio sacro annexa respiciunt, ad ecclesiae forum unice pertineant, easdem cognoscet iudex ecclesiasticus, qui perinde de causis quoque matrimonialibus, iuxta sacros canones et tridentina cumprimis decreta, iudicium feret, civilibus tantum matrimonii effectibus ad iudicem saecularem remissis. Sponsalia quod attinet, auctoritas ecclesiastica iudicabit de eorum existentia, et quoad matrimonium impediendum effectibus, servatis

quae idem concilium tridentinum, et apostolicae litterae, quarum initium: Auctorem fidei constituunt.“

Ex eo autem, quod concilium, licet in genere tantum, definiverit, causas matrimoniales spectare ad iudices ecclesiasticos, suapte ac necessario sequitur, omnes causas matrimoniales ad solos pertinere iudices ecclesiasticos. Ideo enim causae matrimoniales spectant ad ecclesiam, quia contractui naturali ex institutione Christi inhaeret ratio sacramenti; atqui haec ratio est universalis, et ad omnes prorsus extenditur causas, quae cum coniugii vinculo nexum habent: consequens igitur est, omnes causas matrimoniales ad solos pertinere iudices ecclesiasticos. Hinc Pius VI. in epistola ad episcopum motulensem 16. Sept. 1788. data perstringens canonistas quosdam aulicos, qui ex generalibus canonis tridentini verbis inferendum putabant, aliquas saltem causas matrimoniales, eas nempe quae meri facti appellantur, e. g. an adsit impotentia? an matrimonium revera libere sit contractum? etc. iudicibus laicis esse relinquendas, eorum argutationem vocat captiunculam et fallax cavillandi genus omni fundamento destitutum: „Verba enim canonis, ait Pontifex, ita generalia sunt ut omnes causas comprehendant et complectantur; spiritus vero sive ratio legis adeo patet, ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquat. Si enim hae causae non alia ratione pertinent ad unum ecclesiae iudicem, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis, sicut haec sacramenti ratio communis est omnibus causis matrimonialibus, ita omnes hae causae spectare debent ad iudices ecclesiasticos, cum eadem sit ratio in omnibus, ut concors est canonistarum sententia, ne iis quidem exceptis, quos minime favere ecclesiae iuribus satis superque eorum scripta demonstrant. Etenim ut verbis utamur Van Espenii (Ius eccles. par. 3. tit. 2. c. 1. n. 4. 11. et 12.) unanimi consensu receptum est, causas sacramentorum esse mere ecclesiasticas, easque quantum ad substantiam earum, ad iudicem ecclesiasticum privative spectare,

nihilque circa eorum validitatem aut invaliditatem iudicem saecularem posse decernere, eo quod haec ex natura sua sunt mere spirituales.“

Cum itaque prolatus canon 12. concilii tridentini dogmaticus sit, doctrinamque eo comprehensam theologi et canonistae orthodoxi ¹⁾ quovis tempore asseruerint; summi pontifices qua solemnibus decretis, qua privatis epistolis et instructionibus inconcussa fide tenendam docuerint; ecclesia praxi numquam interrupta consecraverit: evidens est, nulli catholicorum, quin in fidei doctrinam offendat, integrum esse negare: causas matrimoniales, quae vinculum connubiale afficiunt, ad forum pertinere ecclesiae. Dixi eas causas ad forum pertinere ecclesiae, quae vinculum, adeoque essentiam afficiant matrimonii; quae enim huic extranea sunt, ut pactio de dote, successio haereditaria, et quae sunt alia, haec principibus pleno iure subesse, independentemque iis facultatem competere constituendi, quaecumque bonum civitatis hoc respectu deponit; ac proin iudicium de accessoriis, deque civilibus effectibus matrimonii penes iudicem esse saecularem, ecclesia ultro semper agnovit, ut patet tum ex iis, quae Benedictus XIV. ex communi doctorum sensu haec de re tradit, ²⁾ tum ex supra citato art. 10. concordati austriaci, nec non allocutione a ssmo. Domino N. 3. Nov. 1855 habita. Ius nempe in contractum civilem, qui contractui naturali, adeoque sacramento supervenit, Christus principibus intactum reliquit, solumque contractum naturalem ad sacramenti dignitatem eundem elevando, subtractum voluit eorum auctoritati, subditumque ut cetera sacramenta, potestati ecclesiae. Hinc possunt principes conditiones legesque praescribere, ad quas contractus civilis exigendus sit; possunt contra leges initum

¹⁾ Id adeo verum est, ut ii quoque theologi, qui ius statuendi impedimenta dirimentia principibus cum ecclesia commune esse volunt, causas matrimoniales uni competere foro ecclesiastico defendant.

²⁾ De synodo dioecesis. l. c. n. 4.

rescindere omnique effectu spoliare; possunt legum suarum contemtores poena mulctare: at impedire ne contractus naturalis legitime a fidelibus initus sacramentum sit, aut diiudicare, validumne sit in foro conscientiae et ecclesiae matrimonium, id omnino nequeunt; nam nullo iure gaudent seu directe seu indirecte in iis, quae intrinseca sunt contractui matrimoniali prout sacramentum est, et effectus spirituales producit, cum nulla saeculi potestas ius ullum habeat in iis, quae pertinent ad sacramenta eorumque administrationem.¹⁾ Atque his principiis nituntur, quae Instructio pro iudiciis ecclesiasticis imperii austriaci monet §. 69. his verbis: „Sanctum est christiano, potestati civili praestare obedientiam, ad quam Dominus ipse nos per Apostolum suum instituit. Eo districtius eas observet necesse est constitutiones civiles, quae ad ordinem moralem conservandum accurate concurrunt. Quamvis igitur potestas civilis, quin validum inter christianos matrimonium contrahatur, sanctionibus suis impedire minime possit, civi tamen austriaco haud lieet negligere praescriptiones, quas lex austriaca de civilibus matrimonii effectibus statuit.“

Et haec quidem sufficere arbitror, ut quaestioni, quam expediendam suscepimus, satisfiat. Ex assertis namque et probatis cuivis aequo rerum aestimatori clarum esse reor: imprimis ipsum naturalem matrimonii contractum a Christo evectum esse ad sacramenti dignitatem, neque in foedere conubiali christianorum alterum ab altero divelli posse; tum ecclesiae competere ius proprium atque originarium, nequaquam autem a principibus mutuatum ferendi leges et statuendi impedimenta, quibus coniugia suorum, ut valeant, attemperari debeant; denique de iis, quae vinculum attingunt matrimonii, iudicandi potestatem penes ecclesiam esse; haecque omnia totidem esse doctrinae fideique catholicae capita, infallibili nixa

¹⁾ de Moy, Archiv für kath. Kirchenr. I. Bd. p. 635.

ecclesiae auctoritate, quae proinde vellicare aut inficiari, quin a communi orthodoxorum sensu recedat, nemo possit. Unde quid de eorum statuendum sit opinione, qui negatâ ecclesiae in matrimonia fidelium iurisdictione, causas omnes matrimoniales cognoscendi decidendique potestatem ad solum pertinere magistratum civilem animosius contendunt, per se liquet. Enimvero sententia, quae doctrinae fidei catholicae contradictorie opponitur, haeretica est. Atqui sententia, quae causas matrimoniales exclusâ ecclesiâ uni vindicat foro saeculari, contradictorie opposita est doctrinae fidei catholicae. Ergo haeretica sit est necesse. Maior evidentior est, quam ut a quoquam in dubium eam vocatum iri praesumere liceat. Minoris autem veritatem cumulate probant ea omnia, quae in superioribus delibando potius quam pro dignitate tractanda protulimus. Concilium namque tridentinum dum canone dogmatico definivit: causas matrimoniales spectare ad iudices ecclesiasticos, regulam fidei stabilivit, et doctrinam expressit ecclesiae catholicae: at vero huic obnituntur, apertaue fronte contradicunt, qui easdem causas matrimoniales exclusive iudicibus saecularibus subesse defendunt. Accedit fautores huius sententiae ex falso, et ut card. Gerdil vocat, haereticali progredi principio: supponunt nempe contractum matrimonii non esse sacramentum, sed ab hoc seiunctum subsistere; quis enim adeo desipiat, ut credens contractum ipsum matrimonialem esse sacramentum, de eo decernendi arbitrium iudici laico tribuat? Cum itaque haeresis, ut Ludov. Muratorius ¹⁾ ait, sit „error in fidei doctrina et dissensio ab ecclesia vera“: sententiam, quam heic taxamus, non iniuriâ dici posse haeticam, manifestum est.

Ergone omnes, qui huic sententiae adstipulantur, censendi erunt haeretici? Absit ut temere ac inconsulto id affirmem. „Non enim error haeticum, sed pertinax obstinatio facit. Non omnes haeretici dicendi sunt, qui opinantur errorem, sed qui pertinaciter

¹⁾ De ingenior. moder. lib. 2. c. 13.

et audacter praedicant falsitatem," inquit b. Petrus Damianus.¹⁾ Si eos, qui hodie ius ecclesiae in matrimonium impugnant, attentius circumspicias, facile invenies, plerosque fortasse non propria convictione, sed procaci vociferatione hominum, qui liberales audiri amant, et sophisticis declamationibus contra omnem, praesertim ecclesiasticam auctoritatem debacchantur, in hanc partem inductos fuisse; verentur nempe, ne si aliter sentire audeant, imbecilles atque illiberales habeantur. Hi igitur proprie loquendo illusi sunt; nec enim suam, sed praemasticatam ab aliis sibi ingestam opinionem, non tam pertinaciter, quam improvide iactant. At vero si qui sunt, uti certe sunt, qui probe gnari quid ecclesia catholica, quove ex fundamento teneat, doctrinam eius impetere, lacessere, subruere inverecundâ pertinaciâ non cessant, et qua verbis, qua scriptis alios quoque in societatem erroris pertrahere satagunt: hi profecto saltem in foro conscientiae ab haeresi excusari vix ac ne vix quidem posse videntur. Occurrunt hoc loco verba Becani,²⁾ quae cum ad rem faciant, exscribere iuvat: „Nemo, inquit, iure canonico censendus est haereticus, nisi qui in suo errore est pertinax, ut docet d. Augustinus epist. 162. d. Thomas 2, 2. qu. 11. art. 2. ad 3. et alii passim. Ille autem censetur pertinax, qui sciens et prudens tenet aliquid contra consensum ecclesiae, vel qui cognoscit et advertit suam opinionem contrariam esse sententiae ecclesiae catholicae, et tamen persistit in sua opinione. Ita Caietanus in 2. 2. qu. 11. art. 2. Melchior Canus, De locis theolog. lib. 12. c. 9. Valentia tom. III. qu. 11. p. 1. dub. 4. Sanchius, Moral. lib. 2. c. 7. n. 2. Et patet ex Augustino lib. 4. contra donatistas c. 16. ubi sic ait: Constituamus aliquam sentire id de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem ipsam esse catholicam fidem; nondum illum haereticum dico, nisi manifestata sibi doctrina catholicae fidei, resistere maluerit, et illud, quod tenebat, elegerit.“

¹⁾ Opp. Paris 642. tom. I. lib. 1. epist. 13.

²⁾ Martini Becani, Manuale controversiar. lib. 5. c. 13. n. 6.